34.-

MONUMENTORUM BOICORUM

COLLECTIO NOVA.

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM BOICA.

VOLUMEN III. Pars I.

MONACHII,
Typis GEORGII JACQUET, Typographi Aulici.
MDCCCXXXIV.

[redacted]

MONUMENTA BOICA.

VOLUMEN TRIGESIMUM.

Edidit

ACADEMIA SCIENTIARUM BOICA.

MONACHII,
SUMPTIBUS ACADEMICIS.
MDCCCXXXIV.

DC.

Anno 1212. 5. Octob. Hagenowe.

Fridericus II. in Romanorum imperatorem electus, rex Siciliae, ducatus Apuliae et principatus Capuae, in favorem Sifridi archiepiscopi Moguntini et apostolicae sedis legati, qui sub gravi periculo et labore ac multis sumptibus regi servivit, ei eiusque successoribus omnia bona dimittit, quae vel progenitores sui vel alii imperatores aut reges ab ecclesia tenuerunt sive alias occupabant.

Fredericus dej gratia in Romanorum Imperatorum electus. Rex Sicilie. Ducatus Apulie. et Principatus Capue. Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Salutem in auctore salutis. Vt ecclesiis et personis ecclesiasticis maxime Principibus. et illis precipue qui pro nostra promotione res pariter et personas non dubitarunt exponere. non solum ea que ad ipsos pertinent libere ac pacifice dimittamus. uerum etiam eadem augmentare Regia munificentia studeamus. et ipsa ratio persuadet. et consideratio nostrj aduersarij nos inducit. quj propter facta contraria prenotatis aduersitatem hominum et offensam diuinam meruit sustinere. Quapropter nos multiplicia et deuota obsequia que dilectus amicus noster Sifridus Archiepiscopus Maguntinus et Apostolice sedis Legatus nobis sub grauj periculo et labore ac immoderatis sumptibus et expensis impendit diligentius attendentes. uniuersis bonis que uél progenitores nostrj. uel alij quicumque

Imperatores aut Reges tenuerunt ab ecclesia Maguntina. siue que alias occupabant de bonis eidem ecclesie pertinentibus libere et absolute de bona et spontanea uoluntate renuntiamus. et iamdicto Archiepiscopo suisque successoribus dimittimus pacifice et quiete in posterum possidenda. Preterea uniuersa iura tam ecclesiastica quam secularia. et consuetudines approbatas que idem Archiepiscopus tam in ciuitate Maguntinensi quam opidis et castris sibi subiectis habere consueuit uel que ad eum pertinere noscuntur ej remittimus illibata. ut sine quolibet impedimento libere utatur eisdem. Vt autem commodius et competentius omnia premissa debitum sortiantur effectum. uolumus et iubemus ut auctoritate propria sepedictus Archiepiscopus ea uendicet. et in suam redigat potestatem. Acta sunt hec presentibus dilectis nostris Cvonrado Metensi et Spirensi Episcopo. Imperialis aule Cancellario. Lupoldo Wormatiensi. et Heinrico Argentinensi Episcopis. Wolframo Abbate de Wizemburc. Friderico Duce Lotharingie. ac aliis quam pluribus. Datum Hagenowe III. Non. Octobris. Indictionis XV.

a) Sigillum massae rubrae impressum, in ora sinistra non nihil laesum, appendet segmento coriaceo.

b) Annus omissus desumitur ex indictione et ex serie actorum Friderici II. post primum eius adventum in Germaniam.

c) Editum in Gudeni Cod. diplom. I. 420. n. 159.

DCI.

Anno 1213. ex nostro computu. 15. Februar. apud Ratisponam.

Fridericus II. rex coenobium Berchtesgadense in protectionem recipit eique omnes possessiones confirmat, privilegium patris sui, Heinrici VI. 1194, in hoc imitatus.

(*Chrismon.*) In. Nomine. Sancte. et. indiuidue. Trinitatis. Fridericus. secundus. diuina. fauente. clementia. Romanorum. Rex. et. sem-

per. Augustus. et. Rex. Sicilie. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod nos ad imitationem serenissimi patris nostri Heinrici inclitae recordationis quondam Romanorum Imperatoris Augusti et regis Sicilie. pro salute quoque ac remedio animae ipsius et nostrae cenobium Berhtersgademense *cum omnibus pers*onis ibidem deo famulantibus et uniuersis eiusdem loci appendi*ciis* et possessionibus in protectionem nostram recepimus. sicut ipsum patrem nostrum imitando uestigia patris *sui avi vide*licet nostri friderici quondam Romanorum Imperatoris augusti fecisse constat sicut ex priuilegio suo colligitur super hoc praefatae ecclesiae concesso. omnia quoque que idem cenobium sub imperiali defensione nominati patris nostri hactenus possedit. uel *nunc possidet* sub nostrae tuitionis tutamine deinceps statuimus permanenda. Specialiter autem et nominatim forestum quod circa cellam undique tenditur. et ea que intra terminos ipsius foresti que iuris erant imperii in uenationibus. piscationibus. pascuis. cultis et incultis. et que in salis uel in cuiuslibet metalli uenis subterraneis. inueniri aut elaborari potuerint. salinam quoque in loco qui dicitur Goldenpach. Itemque salinam que est inter Toffal et locum qui dicitur Riue. et omnia que habet intra terminos foresti designatos. priuilegio a diuo patre nostro collato. cum omni iure eiusdem foresti. quod comes Engelbertus suique parentes longis retro temporibus per terminos subtus notatos possederant *post* eos etiam comes Peringarius de Svlzbach. qui idem forestum praefatae ecclesiae plus quam triginta annis ante imperium clementissimi aui nostri tradiderat firma eis eorumque successoribus et illibata omni tempore permaneant. Termini autem quibus ipsum forestum cingitur hii sunt Primus incipiens in riuulo qui dicitur Diezpach et inde in medium alueum fluminis quod dicitur Sala. descendens pertingit ad uillam walwes. ad abietem in cimiterio stantem. et inde transmeans ad adiacentem paludem *que* dicitur vilzmos. peruenit ad uillam quae uocatur aneua. ubi fontes decurrunt in fluuium Salzahe. et inde ascendendo per medium alueum fluuii pertingit ad superiorem Skarempach inde scandens varmenecke. et usque Swalwen perue*nit ad ver*ticem qui Gelich appellatur. inde ortum riui Chvnigespach pertransiens uertices

montium vozinsperc et Pokesrvocke per medias ualles et montes inde uenit ad uerticem montis viskvnkel. inde per medium montium cacumina sicut aque hinc et inde decurrunt reuertitur ad ortum riui Diezpach. per quem sicut ab utraque parte ad ipsum aque decurrunt ad praedictum flumen Sale descendendo finitur. Aduocatiam quoque ipsius loci tam a fundatorum heredibus quam ab aliquo hominum nisi quem praepositus et fratres utiliter duxerint eligendum usurpari modis omnibus inhibemus. Porro si is qui electus fuerit. grauis eis et inutilis extiterit. ipsum repellendi et meliorem in locum eius substituendi. liberam eis concedimus fa*cultatem*. Omnia quoque quae liberalitate regum uel imperatorum largitione principum oblatione fidelium praedictae ecclesiae collata sunt uel in posterum fuerint collata. Specialiter uero aquam in fonte Halle quam comes Gebhardus filius Peringarii comitis de Svlzpach sub praesentia et auctoritate memorati aui nostri eidem cenobio sex annis ante obitum suum potestatiua manu tradidit. regali auctoritate ipsi ecclesiae et fratribus confirmamus. Solita quoque regalis clementiae nostrae auctoritate omnia eiusdem ecclesiae noualia a porta qua silua uersus Halle clauditur. usque in riuum *qui dicitur Riutmagie* et ultra usque in riuum wizpach cum omnibus colonis suis ab omni iure comi*tum et iudicum* eximimus. et liberos esse concedimus. et ut a praefatae ecclesiae praeposito tam in secularibus quam in spiritualibus regantur iubemus. Insuper *ne aliquis ducum vel* comitum uel quorumlibet iudicum super praefata aqua Halle. quam ut d*ictum est comes Gebhardus ipsi ec*clesiae tradidit. uel quam imperiali largitione possident *vel super omnibus. que* in nostram specialiter defensionem pres*enti scripto suscep*imus. propter cuiusquam querimoniam in iudiciis eos inquietare presumat int*erdicimus. quoniam ius*tum est ut que imperialis maiestatis auctoritate *sive regalis confirmata* sunt uel munificentia tradita imperiali nichilominus iuditio siue Regali si quid querimoniae natum fuerit rationabiliter terminetur. De*cernimus ergo. ut n*ullus mortalium uel cuiuscunque professionis aut potest*atis homo super quo*libet horum praefatum cenobium aut fratres inquietare aut qualibet infestatione uexare praesumat. Si quis autem ausu temerario hanc

nostrae constitutionis paginam infringere attemptauerit. seueritatem diuini iudicii et regalis nostre indignationis uindictam se nouerit incurrisse. et in ultionem sue temeritatis. XXX[a]. libras auri puri pro pena componat. quarum medietas camere nostre reliqua monasterio persoluatur. Ad cuius rei certam imperpetuum euidentiam praesens priuilegium conscribi iussimus et sigillo nostro communiri. Huius rei testes sunt. Sifridus Maguntinus archiepiscopus. Otto frisingensis episcopus. Cvonradus Ratisponensis episcopus. Hertwicus Eistetensis episcopus. Mangoldus pataviensis episcopus. Fridericus Tridentinus episcopus. Odakrius rex Boemiae. Hermannus lantigrauius Duringiae. Leodewicus dux Bawariae. Leopoldus dux Austrie et Stirie. Heinricus marchio Morauiae. Comes Meinhardus de Abensperc. Comes Cvonradus de Pleien. Comes Cvonradus de Mosbvrch. Comes Chalhohus de Chirchperc. Heinricus marscalcus de Callindin. wernherus dapifer de Bonlandia. waltherus pincerna de Schippfe. volricus camerarius de Mincenberc. et alii quam plures.

Signum. Domini. Friderici. Secundi. Romanorum. Regis: Inuictissimi. et. Regis Sicilie. (*Monogramma*).

Ego Cvonradus Metensis episcopus Imperialis aulae Cancellarius uice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii recognoui.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis. M°. CC°. XII°. Indictione. I[a]. regnante domino friderico secundo Romanorum rege glorioso. et rege Siciliae. anno regni Romani eius. I°. Regni uero Sicilie. XV°. Datum apud Ratisponam per manum Berhtoldi Regalis aulae prothonotarij. XV°. Kal. Martii.

a) Sigillum, fractum in duas partes, appendet ex filis sericis purpurei, viridis et albi coloris. Fragmentum maius totam regis imaginem exhibet, fragmentum minus oram superiorem sigilli laevam sistit, ast non integram; nam aliquae litterae inscriptionis incipientis cum parva cerae massa deperditae sunt. Utrumque

fragmentum [illegible] tempore [illegible] [illegible] [illegible], nunc sacculo aperto, [illegible] [illegible] est.

b) Indictio respondet anno Chr. 1213, cui consonant tum tempus adventus Friderici II. in Germaniam, tum prima eius curia solemnis in purificatione B. Mariae Virg. Ratisbonae celebrata. Nam Fridericus II., exacto longo ac periculoso itinere, demum post medium Septembrem anni 1212. Germaniam attigit, ac Moguntiae initio mensis Decembris rex Germaniae salutatus ac coronatus prima comitia solemnia Ratisbonae habuit, teste chronico August. apud Struv. corp. hist. p. 451, in quibus hoc diploma datum est. Anni etiam regnorum Germanici ac Siculi currentes indicati nonnisi anno Chr. 1213 conveniunt. Ex quo patet annum Chr. in hoc instrumento notatum ex calculo Italico, dicto Florentino, desumptum esse, qui tribus mensibus post Natalitia Domini, quo Germani initium anni duxerant, nimirum 25. Mart. annum suum incipiebant.

c) Editum in Hund. metr. II. Edit. Monac. 180. 181. edit. Ratisb. 124. 125. Lünig. spicileg. eccles. III. Theil. 16. Koch v. Sternfeld Salzburg und Berchtesgaden II. 39. num. 21. ex „Berchtesgadens. Processschriften, Beilagen num. 13. Habetur etiam in actis specialiter impressis ex insertione in privileg. Ferdinandi II. 1624. 1. octob. fol. 4. num. 5. fol. 120 et fol. 123.

d) Lacunae plurimae, quandoque per plures lineas exporrectae, in locis aerugine corruptis aut exesis, atque per litteras cursivas notatis, restitutae sunt ex praecedentibus diplomatibus confirmatoriis, ex diplomate Heinrici VI. an. 1194. 22. Mart., quocum hoc instrumentum maxime convenit, denique et potissimum ex confirmatione atque insertione, a Friderico II. an. 1236. mense Junio factis, depromta. Conferantur ergo similes confirmationes praeter illam 1194. 22. Mart. aliae annorum 1205. 10. Mart. et 1208. 23. Novemb.

CDII.

Anno 1213. ex nostro computu, 16. Februar. apud Ratisponam.

Fridericus II. rex Monasterium Scotorum S. Jacobi Ratisponae, cum ecclesia S. Petri, in defensionis suae mundiburdium suscipit, cum omnibus eorum possessionibus, quae nominatim designantur.

(*Chrismon*). In. nomine. sancte. et. indiuidue. Trinitatis. Fridericus. Secundus. diuina. fauente. clementia. Romanorum. Rex. et Semper. Augustus. et. Rex. Siciliae. Si uiris religiosis fauoris et munificentiae gratiam impenderimus temporalium et eternorum bonorum retributionem indubitanter consecuturos esse speramus. Qua propter notum sit omnibus christi fidelibus tam futuris quam presentibus qualiter monasterium Scotorum Ratisponae ante portam occidentalem constructum. nec non et ecclesiam in Wihin Sancti Petri uulgo dictam in orientali eiusdem ciuitatis suburbio portam ad idem monasterium Sancti Jacobi Scotorum attinentem secundum tenorem firmae libertatis priuilegiorum antecessorum nostrorum Romanorum imperatorum et regum Heinrici.III. Heinrici.IIII[ti]. et Lotarii et Friderici ob honorem et uenerationem beatorum apostolorum Petri ac Jacobi rogatu Mathei abbatis et fratrum eiusdem monasterii atque fratrum ecclesiae Scti Petri supplicatione que Scotis monasterii sancti Jacobi subdita esse. probatur cum omnibus bonis et possessionibus quas modo habent rationabiliter et quas inposterum specialibus nominibus designabimus. aut in futurum iustis modis sunt habituri. in mundiburdium defensionis nostrae suscipimus. eo scilicet tenore. ut sicut constitutum est a supradictis imperatoribus idem monasterium Sancti Jacobi ac ecclesiae Sancti Petri nec non et bona sibi attinentia ac ibidem solummodo Scoti inhabitantes. et nulli alii perpetuam habeant libertatem. nec ab aliqua persona magna uel parua gra-

uentur. nec quicquam seruicii nisi soli deo et sanctis eius reddere cogantur. neque aliqua persona maior uel minor in eos aut in bona eorum qualemcunque dominationem habeant. preter nos et successores nostros reges uel imperatores. sed securi maneant absque omni eiectione uel perturbatione orantes pro se et pro statu imperii. ac totius ecclesiae salute. Nomina autem possessionum hec sunt. Manzpach. Caltenberc. Tegernheim. Grndolvingen. cum piscaturis. Rivt. Kindenhvs. Gebelchoven. Wernsingen. Kneutingen. cum uineis suis et capella sua. Bochesrvocke. cum capella sua. et decimis. Trublingen. Tietelndorf superius et inferius cum siluis et piscaturis ceterisque appenditiis circumquaque sibi adiacentibus. Marcstet. Mahtenvelt. Tessenhvel. Obrekof. Molendinum Sinzingen. Gristet cum capella. siluis. piscaturis. molendinis. Ansidel. Dietfvort. Halthvs. Fogeltal. Gvndolshus. Bvoze cum capella. Lienberc. Gravenberc. Obergvndolvingen. Jachenhvsen. Chvelsdorf. Fingental Westenholz. Molendinum apud Brvnne. Duo molendina apud Laber. Ezinberc. Bercstet. Hvnthahen. Helmbvhel. cum appenditiis suis. Harde. Chemnat. Hvnberc. Rivt pascuale. Stetenhove. Svorchvsen. Girhvsen. Kaerrin. Tremelhvsen. Warmansdorf. Due uineae ad pedem pontis Ratisponensis. Manslo. Lyrndorf. Hvtenhof. Mvnechrivt. Chanstein. Bvelnhove. Chalbesingen. Schiltern. Krapfenhof. Sneithart. Trvebenhoven. Bondorf. Stocka. Alta. Una curia apud pfaeter. Hagenbvoch. Chager. Herizchoven. Rvedelingen. Cholnbach. Hochdorf. Eiche. Heide. Schyr. Friesheim. Due uineae iuxta Chrvochenberc. Winze cum molendino et duae uineae apud Jbspvrc. et area una apud Persenbevge. et duos mansus in Saze. et sex mansus apud Shottingen. Sneithart occidentale. Preterea decernimus ut nulli liceat aduocatiam eorum concedere. habere. aut dare nisi per nos et nostros successores. reges uel imperatores. et cum conscientia abbatis Scotorum. necnon et uetamus et sigilli nostri inpressione praecipimus. nec alicui eorum aduocato liceat bona eorum usurpando aut emere aut renouando addere. sed solis scotis tantummodo de bonis suis prout melius uel utilius poterint disponere liceat. sicut hactenus temporibus antecessorum nostrorum noscitur obseruatum. Aduocati uero quibus commissa fuerit a nobis aduocatia.

uel a nostris successoribus regibus uel imperatoribus et hoc rogatu Scotorum obmissis omnibus collectionibus a uillicis nil uiolenter accipiant. nisi secundum solam ueteris iusticiae mensuram. Siquis autem hanc libertatem eis infringere praesumpserit CCCtas marcas auri compostituros banno nostro subiacebit medietatem camerae nostrae et medietatem supradicte ecclesiae. Ut autem hec nostra concessio rata et intemerata in perpetuum permaneat. presentem paginam scribi. et eam maiestatis nostre sigillo precepimus communiri. Huius rei testes sunt. Sifridus Maguntinus Archiepiscopus. Otto frisingensis episcopus. Cvonradus Ratisponensis episcopus. Hertwicus Eistetensis episcopus. Mangoldus Pataviensis episcopus. Fridericus Tridentinus episcopus. Odacrius rex Boemiae. Hermannus Lantgrauius Dvringiae. Lvdewicus Dux Bawariae. Lvpoldus Dux austrie. Heinricus marchio Morauiae. Comes Albertus de Eberstein. Heinricus marscalcus et alii quam plures.

Signum. Domini. Friderici. Secundi. Romanorum. Regis. Inuictissimi. et. Regis. Sicilie. (*Monogramma*).

Ego Cvonradvs Metensis episcopus Imperialis aulae cancellarius uice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi. et totius Germanie archicancellarii recognoui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis. M°.CC°.XII°. Indictione.I. regnante domino friderico secundo Romanorum rege glorioso et rege Sicilie. anno regni eius Romani. I°. Regni uero Siciliae. XV°. Datum apud Ratisponam. XIIII°. Kal. Martii.

a) Sigillum, laesum in omni fere ora sua, qua laesione inscriptionis mediae ac desinentis litterae non paucae evanuerunt, appendet ex filis sericis rubri, viridis et purpurei coloris.

b) Indictio, anni etiam regnorum. Germanici ac Siculi currentes respondent anno Chr. 1213; cui convenit calculus Italicus, dictus Florentinus, in hoc instrumento a notario usurpatus, 25. Martii annum incipiens, sicut in alio instrumento, pridie huius diei eodem anno et loco Berhtesgadmensibus dato, fusius est declaratum.

c) Editum in Hundii metrop. II. edit. Monac. 396. edit. Ratisb. 275. et in Ried. Cod. diplom. Ratisbon. I. 303. num. 322.

d) Ex praecedentibus quatuor confirmationibus imperatorum, in hoc instrumento memoratis, nonnisi duae priores supersunt, Heinrici IV. et Heinrici V. regum sive III. et IV. imperatorum, illa data an. 1089. 1. Febr., altera an. 1111. potius 1112. 26. Mart., utraque edita in Hund. metrop. III. Edit. Monac. 94 et 95. edit. Rat. 65 et 66, et in Ried cod. diplom. Rat. I. 166 et 171. sive num. 178 et 184; ast primae confirmationis solummodo originale extat diploma.

DCIII.

Anno 1213. 26. Febr. apud Nurnberc.

Fridericus II. rex monasterio Eberacensi praedium et parochiam Suabach, exemplo patris sui Heinrici VI. imp., confirmat.

Fridericus dei gratia romanorum rex et semper augustus. et rex sicilie. Tam publi*canorum* (publicorum) serie instrumentorum quam fidelium nostrorum fideli relatione comperimus et certificati sumus. quod pie memorie consanguineus noster Fridericus inclitus dux de rotenburch. predium suum suabach cum attinente Parrochia. et omnibus eiusdem parrochie pertinentiis. consensu et a stipulatione Cvnradi tunc temporis eistetensis episcopi in usus contulit eberacensium fratrum. Postea uero cum idem fratres iam dicte ecclesie possessionem iniuste amisissent. et in potestatem dilecti Patris nostri Heinrici gloriosi romanorum imperatoris deuenisset. suggestione fidelium suorum quibus abolim rei ueritas innotuit. Fratribus illis quod iniuste perdiderant iuste restituit. cuius sue restitutionis pariter et pristine donationis confirmationem. sub debite sollempnitatis testimoniorumque coniuentia per imperialia meruerunt priuilegia. Nos igitur per omnia factorum

suorum uestigia imitari uolentes. predictum predium secundum formam donationis et confirmationis ipsis concessam. nos similiter ipsis una cum attinente parrochia per omnia confirmamus. uolentes ut tam antedicti consanguinei nostri ducis donatio. quam dilecti patris nostri confirmatio quia utraque iuste ac legitime facta est. perpetue firmitatis robur et uigorem optineat. Preterea pie profitemur. totam possessionem illam suabach. predium scilicet cum parrochia. dilectis nobis eberacensibus fratribus. regali defensione nos uelle tueri. neque alium eis in eisdem bonis aduocatum esse uolumus. quam romani sceptri maiestatem. aut quem ipsi fratres sue pacis prouisorem prouiderint. Omnem etiam exactionem et annue pensionis molestiam. seu quicquid huiusmodi quieti eorum inportunum esse potuerit. tam ab eis quam a colonis eorum auctoritate nostra perpetuo remouemus. pro certo affirmantes. nos semper inpromtu habere. omnem eorum iniuriam condigna prosequi ultione. Huius nostre professionis atque confirmationis idonei existunt testes. Cunradus cancellarius noster. Hermannus langrauius duringie. Otto dux meranie. Marscalcus henricus. Albertus de entse. Ludewicus de stolberc. Reimarus prouisor de nurnberc. officiatus de perngue. officiatus cunradus de gredingen.

Datum apud nurnberc IIII. Kal. Marcii anno primo regni nostri.

a) Sigillum bene expressum, sed in ora sinistra nonnihil laesum, appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris.

b) Annus Chr. omissus cognoscitur ex anno primo regni, scilicet Germanici, VI. Decemb. 1212. coepti.

c) Ineditum, saltem ex originali; nam insertum in privilegio confirmatorio eiusdem Friderici II. 1235. m. Jun. habetur in privilegiis Eberacensibus II. Abth. p. 6. n. 47. et Schütz corp. hist. Br. IV. Abtheil. 75. n. 38.

d) Per omnia, vix non de verbo ad verbum, convenit cum confirmatione Philippi II. 1200. 15. Mart. cnfr. etiam diplomata desuper 1195. 16. Jul. et 1209. 24. Februar.

e) Scriptor huius instrumenti se ipsum correxit in vocabulo publicanorum, cuius litteris *an* puncta interponens.

DCIV.

Anno 1213. 27. Mart. apud Constantiam.

Fridericus II. rex ecclesiae Salzburgensi monasterium Sanctimonialium in Chimse confirmat, et Eberhardo archiepiscopo indulget, ut episcopatum ibi erigat, qui solis archiepiscopis Salzburgensibus subiaceat.

(*Chrismon*). In nomine sancte et indiuiduc trinitatis AmeN. Fridericus dei gracia Romanorum rex et semper augustus et Rex sicilie. Quoniam regibus et principibus dominus in hoc mundo pre ceteris eminentiam contulit. dignum est ut et ipsi circa ea in quibus honorem domini ampliare potuerint. accepta ab eo munera recognoscant. Ad petitionem igitur dilecti principis nostri Eberhardi salzburgensis archiepiscopi priuilegia ecclesie Salzburgensi a predecessoribus nostris collata. perspeximus in quibus monasterium in chimse ubi hactenus fuit congregatio sanctimonialium inuenimus episcopatui salzburgensi munificentia gloriosorum regum esse donatum. cum omni iure suo et hominibus utriusque sexus militaris sev seruilis condicionis sicut antea predictus locus ad imperium pertinebat. Considerantes eciam quod iam dictus archiepiscopus nobis et imperio laudabiliter deuotus extiterit predictum monasterium cum omni iure suo Salzburgensi ecclesie confirmamus. Sed quod idem archiepiscopus zelo dei ductus cum uniuersitate capituli sui et familiae sibi indulgeri petiuit. ut in sepedicto monasterio kathedralem ordinaret ecclesiam allegans episcopatus sui latitudinem. uiarum difficultatem nec non et occupationes quibus oportet eum imperio esse obnoxium. quibus omnibus sollicitudo pastoralis defectum patitur. nos peticionibus eius de bono corde surgentibus inclinati. indulsimus ei episcopum qui

citra montes archiepiscopi Salzburgensis existat vicarius. in memorato monasterio ordinare. qui tantum ad Salzburgenses archiepiscopos et non ad imperium in regalibus et in uestitura debeat habere respectum. Congnouimus enim Gurcensem episcopum qui archiepiscopo Salzburgensi in vicarium concessus esse dinoscitur propter amplitudinem episcopatus ultra montes. raro uel nunquam citra montes posse curam vicarii in hiis que episcopale officium exigunt exercere. Vt autem hec nostre concessionis pagina inperpetuum inconuulsa habeatur et firma. maiestatis nostre robore confirmamus. Testes huius rei sunt Sivridus augustensis episcopus. Chunradus constantiensis episcopus ..... abbas de salem. wlricus abbas sancti galli. Heinricus abbas augustensis. Comes Hartmannus de Wirtenberch et frater suus comes Lodowicus. Pertholdus de niffen. et filius suus Heinricus. Heinricus de chaldin marschalcus imperii et alii quam plures. Acta sunt hec apud constantiam anno domini millessimo CC^o^. XIII°. indictione prima.

Signum domini Friderici secundi Romanorum Regis INuictissimi (*Monogramma*).

Ego chunradus Metensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini.S. Moguntini et tocius germanie archicancellarii recognoui. Data apud constantiam per manus pertholdi de niffen regalis aule prothonotarii. VI. Kal. aprilis anno et indict. supra scriptis.

a) Sigillum fere illaesum, optime autem expressum, appendet ex filis sericis rubri sive potius purpurei et viridis coloris.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Ineditum. cnfr. diplomata desuper 969 vel potius 970. 30. Octob., insuper illa, quorum originalia hic desunt, an. 1077. ap. Hund. metr. II. Edit. Monac. 236. edit. Ratisp. 166. an. 1218. VII. Kal. Nov. (26. Octob.) memoratum in Juvavia 261. not. a.

DCV.

Anno 1213. 1. April Constantiae.

Fridericus II. rex et rex Siciliae, cui Heinricus abbas Campidonensis contulit advocatiam ecclesiae Campidonensis et alia beneficia, quae progenitores sui ab eadem ecclesia habuerunt, nec non advocatiam ac beneficia, quae quondam marchio de Ruomesperch feodi nomine habuit, exceptis tamen illis, quae ante regis eiusdem adventum aliis collata sunt, vicissim eidem monasterio comitatum Campidonensem ratione legalis feodi et honorabilis beneficii confert.

(*Chrismon.*) In nomine. sancte. et. indiuidue. trinitatis. Fridericus. secundus. Dei. gratia. Romanorum. Rex. semper. Augustus. et. Rex. Sycilie. Maiestatis nostre decet munificentiam expertam fidelium nostrorum approbare deuotionem. eam que in palam productam. regia recognoscere conpensatione. Vniuersis igitur Imperij fidelibus tam presentibus quam futuris hanc paginam inspecturis uolumus declarari. quod dilectus fidelis noster Hainricus venerabilis abbas Campidonensis. ex liberali affectu animi sui. cum plena deliberatione recognoscens iura nostra. tam aduocatiam ecclesie Campidonensis quam omnia alia beneficia, que quondam diui progenitores nostri incliti Romanorum reges et augusti. ex gratia ecclesie Campidonensis suis habuerunt temporibus. iure legalis beneficii. ea sine omni diminutione nulla interposita conditiono. do manu sua cum omni eodem iure et honore contulit. Ad hec ut plenius nos idem abbas de affectu sue certificaret deuotionis. aduocatiam omnium posessionum ac beneficii que quondam ab eadem ecclesia dilectus consanguinens noster Marchio de Ruomesperch habuisse nomine feodi dinoscitur. cum omni iure et

honore simili forma feodali. nobis conferre curauit. His solummodo exceptis que sepedictus Abbas ante nostrum aduentum aliis suis fidelibus visus est contulisse eodem iure feodi. Saluo in hoc honore prelibati abbatis et ecclesiae sue. quod ipse abbas et sui successores eorum bonorum que ut prelibatum est ad beneficium quondam prenominati Marchionis pertinebant debeant esse nostri prouisores seu procuratores. vt siquem defectum aliquo tempore patiamur in iure nostro. vel in petitionibus super eadem aduocatia faciendis. secundum quod eas nuntius noster ad hoc destinatus inposuerit consilio abbatis sepefate ecclesie. de his omnibus nobis respondeat ipse abbas et satisfaciat in integrum. quia ille quicunque fuerit noster nuntius ad hoc destinatus. consilio abbatis qui pro tempore fuerit iura nostra petere et petitiones pro nobis debet inponere. Nullum autem omnino prouisorem siue procuratorem super aduocatia atque bonis pretaxatis habere debemus preterquam abbatem ipsum et suum successorem. Nos autem ex innata nobis regia prouidentia. uolentes tam laudabilem ipsius abbatis tamquam bene meriti. siue recompensatione pertransire. Comitatum Campidonensem ei et omnibus suis successoribus cum omni jure et honore. ratione legalis feodi et honorabilis beneficii conferre curauimus. Statuentes et Regali edicto sanctientes. vt nulla omnino persona humilis vel alta. secularis vel ecclesiastica hec infringere vel his omnibus ausu temerario aliquo tempore contrauenire presumat. Vt autem hec omnia perpetuam sorciantur euidentiam et firmitudinem hanc paginam priuilegii scribi iussimus Sigillo Maiestatis nostre roboratam. Huius rei testes sunt. Chunradus Constantiensis Episcopus. Sifridus Augustensis Episcopus. Hainricus. augensis abbas. Vlricus. Abbas sancti Galli..... Abbas de Wizenburch. Rudolfus. Comes palatinus. de tuwingen. Comes. Egno de Vrach. Hartmannus et Lvdwicus fratres Comites de Wirtenberch. Comes Diepoldus de Chers Comes Hartmannus de Chirchperch. Comes Hainricus. de burgow. Bertoldus senior de niffen. Hainricus de Sacco. Bertoldus et filius suus de Druchburch. Hainricus de Ro*t*enberch. Lampertus de Haselach Eberhardus de Aichheim. Hainricus de Chalantina maresalcus Imperij. Hermannus de Sulzberch. Ludwicus de Ro*ta*che

Heinricus de Wagecce. Bertoldus marescalcus Campidonensis. Chunradus de vinario. et alii quam plures. Signum. inuictissimi. Domini Friderici. Romanorum. Regis. et. Sicilie (*Monogramma*).

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis Episcopus Imperialis aule Cancellarius. vice domini Sifridi. Moguntini Archiepiscopi. totius Germanie Arcicancellarii recognoui.

Acta sunt hec. Anno domini. millessimo. CC. XIII°. Indictione prima. Regnante gloriosissimo domino nostro Frederico. secundo dei gratia Romanorum rege semper Augusto et inclito Rege Sycilie. Anno Romanj Regni ipsius primo. Regni uero eius in Sicilia XV°. feliciter. Datum Constantie in Cura Sollempni. Kalendis Aprilis. Anno et Indictione supra Scriptis.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere autem filia serica rubri et viridis coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Editum a Neugart in Cod. diplomat. Alemanniae II. 133 — 135. num. 900 et in Baron Hormayrs Archiv für Gesch. Jahrg. 1828. S. 70.

d) Nomen abbatis de Wizenburch non est expressum, sed relictum ei spatium vacuum punctis indicatum; Neugart l. c. 134. not. c) tribus nominibus illum indicat, Golfardum, Waldramum et Wolframnum, verum eius nomen in indice reticens p. 53.

e) Locus quidam inferioris plicaturae laceratus ac detritus quasdam solummodo litteras ambiguas reddit, lectionemque indicatam multo verosimiliorem, quam illam editoris Neugart; nam renovatio huius diplomatis in confirmatione Caroli IV. an. 1353. 8. Sept. legit. Rotemberg, Rotahe. Notandum insuper castrum sive locum Chêrs, quo agnominatus est Comes Diepoldus, in Neugarti indice non inveniri; attamen ipsum hunc comitem Diepoldum ibi p. 69. inter comites de Berge recenseri.

DCVI.

Anno 1213. 31. Julii. apud Novrinberc.

Fridericus II. rex monasterio Hahilsburnin (Heilsbronn) praedium in Gerute confirmat, quod Fridericus de Haslahc, ministerialis suus, dicto monasterio vendidit.

Fredericus secundus dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. et Rex Syciliae. Dilectis et venerabilibus fratribus Abbati totique Conuentui in hahilsburnin. gratiam suam et omne bonum volentes ob illius reuerentiam qui misericorditer nos respexit et mirabiliter etiam promouit. personas relligiosas et loca diuinis mancipata obsequiis et specialiter dilectam nobis vniuersitatem uestram augmentare. diligere semper et promouere. predium in Gerute et in aliis locis ubicumque constitutum quod uobis et monasterio uestro uendidit pro quadam summa pecuniae Ministerialis noster Fredericus de haslahc et sui heredes. per manum fidelis nostri Ramungi de Swabahc tamquam per manum Salmanni monasterio uestro et uobis perpetuo tenendum transmisimus. et pro remedio animae nostrae in subsidium sustentationis uestrae donamus et largimur. ipsius ministerialis nostri et heredum suorum uenditionem gratam habentes et ratam et easdem possessiones vobis confirmantes. Mandamus igitur et sub pena gratiae nostrae firmiter precipimus. ut nec memoratus Fredericus nec ipsius heredes. nulla quoque alia persona vos in bonis illis inquietare praesumat aut dampnum uobis irrogare. quod qui fecerit. sublimitatis nostrae offensam et grauem iram se nouerit incursurum. Testes uero huius rei sunt. Conradus spirensis et Metensis episcopus. Imperialis aulae Cancellarius. Conradus Spirensis aecclesiae maior praepositus. Heinricus marscalcus de Kallindin. Erbo camerarius de lutra. Heinricus de Rotinbyrc magister coquinae et alii quam plures.

Datum apud Novrinberc anno dominicae incarnationis Millesimo CC°XIII. Indictionis primae II. Kal. Augusti.

a) Sigillum bene expressum et fere illaesum appendet ex filis serici rubri et flavi coloris.

b) Notae chronologicae inter se concordant.

c) Ineditum.

DCVII.

Anno 1214. 1. April. apud Lutream.

Fridericus II. rex ecclesias Rodenkirchen et filiam eius Hagene sub specialem defensionis suae tuitionem recipiens, illis bona in Oppenheim aliaque nominibus expressa confirmat, atque indulget, ut de universis bonis, praeter receptam rationem et consuetam iustitiam non graventur.

In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis. Fridericus dei gracia Romanorum Rex et semper augustus. Cum ex regiae liberalitatis munificentia aecclesiarum utilitati prouidemus. indubitanter speramus. ad felicem presentis uitae cursum. et ad aeternae retributionis meritum. id nobis omnimodis profuturum. Unde notum fieri uolumus uniuersis imperii fidelibus. tam futuris quam presentibus. quod nos pro remedio animae nostrae parentumque nostrorum. domum religionis. que Rodenkircha dicitur. et eius filiam. que Hagene nuncupatur. cum omnibus personis et bonis suis. sub specialem nostrae defensionis tuicionem recepimus. et omnia predia et hereditates. quas nunc possident prefatae aecclesiae. a quocumque hominum eis collatae sint. siue in Oppenheim. Curia (am) Embrichonis. cum agris et vineis propriis siue hereditariis. bona

Walburgis. bona in Dechidesheim. Curiam in Morsheim. cum appendiciis suis. Curiam in Snibichemberc. Curiam in Becherheim. Curiam in Riede. Curiam in Albesheim. cum appendiciis suis. Curiam houge. necnon bona hagenensis aecclesiae. Curiam in Idenaburnen. Curiam in Wilre. Curiam in Ebernsheim. Curiam in Zarnheim. Curiam in Olmene. Curiam in Uluensheim. Curiam Cigelmundesheim. ceteraque bona. in agris. siluis. pratis. et pascuis. utrique aecclesiae collatis. siue bona que in posterum prenominatae aecclesiae. justo acquisitionis titulo poterint adipisci. auctoritate regia qua fungimur. iam dictis aecclesiis perpetuo confirmamus. Ad hec quoque de regiae largitatis munere. ipsis concedimus et indulgemus. quatinus. de uniuersis bonis ipsorum (ipsarum). deductis justiciis. racionibus. que ab antiquo solebant deduci. nil ultra preter justiciam. de omnibus bonis ipsorum (ipsarum) requiratur. nec aliqua noua exactio. in eis constituatur. sed recepta racione. et consueta justicia. absque omni ulteriori grauamine. quieta et secura consistant et permaneant residua. Quicumque igitur hanc nostrae confirmationis paginam infringere. uel aliquo improbitatis ausu. ei obuiare presumpserit. regiae indignationis se nouerit jacturas grauissimas incursurus. Ut autem hec omnia. firma et illibata conseruentur. presentes paginas inde conscribi. et sigillo nostro precepimus communiri. Huius reitestes sunt. Sifridus moguntinae Sedis archiepiscopus. Kunradus imperialis aulae cancellarius. Liupoldus Wormaciensis episcopus. Theodericus treuerensis archiepiscopus. Sifridus comes de Liningen. Simon comes de Saraponte. Rupertus et Gerhardus hirsuti comites. Cunradus comes siluestris. Godefridus de Eppenstein. Wernherus de Bonlant. imperialis aulae dapifer. et Philippus frater suus. et alii quam plures. Acta sunt hec apud Lutream. Regnante domino Friderico. inuictissimo Romanorum rege. et Semper augusto. Anno regni eius secundo. Anno dominicae incarnationis. M. C.C. XIIII. Kalend. aprilis.

a) Sigillum, quod appendebat, interiit, abruptum cum parte membranae inferius complicatae, filis similiter perditis.

b) Indictio non est expressa, annus regni respondet anno Chr. notato.

c) Locus dati instrumenti Lutrea est Kaiserslautern quod ex instrumento praetermisso dd. 4. Junii 1214 apud Lutram cum archivarii Spirensis expositione patet, nam Reinhardus de Lutra fidelis regius dicitur scultetus in Kaiserslautern a. 1220. et ecclesia Ramstein in eodem instrumento memorata prope Kaiserslautern sita est.

d) Editum sive potius extractum et decurtatum in Joannis Rerum Mogunt. II. 535 et 536 occasione cuiusdam litis canonicorum S. Stephani Moguntiae cum civibus in Oppenheim super bonis quibusdam in finibus civitatis Oppenheim iacentibus, quae iidem canonici ab abbate et coenobio Rodenkirchensi emerant, atque ex Friderici II. diplomate ab omnibus servitiis libera esse contenderant et evicerant, per definitionem factam a Sifrido III. Archiep. Mogunt. 1139. 13. Nov. illucque insertam. Apud hunc editorem tamen in contextu literarum Friderici II. multa sunt omissa, aliqua etiam aliter lecta, quod inde evenisse credimus, eoquod ibi nonnisi apographum laudetur, in iudicio exhibitum, non autem iustum et authenticum instrumentum, quale nunc primo comparet. Ad hanc notitiam referendum quoque videtur concambium eodem an. 1214. inter abbatiam Murbacensem et ecclesiam Hegenensem consensu regis Friderici factum et ex tabulario Grünstadio-Leiningensi a Schöpflin. Als. dipl. I. 327. n. 396. vulgatum ibi not. 9 ecclesia Hegene exponitur monasterium destructum prope castrum Leiningen. Rodenkircha, Praemonst. olim monasterium describitur in act. pal. I. 44. 45.

e) Authographum huius diplomatis conservatur in archivo Spirensi, sive circuli Bavar. Rhenani.

DCVIII.

Anno 1214. 27. Junii. Ulmae.

Fridericus II. rex Chunrado episcopo Brixinensi eiusque successoribus in episcopatu eorum argentifodinas confirmat, iam a patruo suo, rege Philippo, illis concessas, vult tamen et ipse rex in proventibus ad medium participare.

Fridericus secundus diuina fauente Clementia Romanorum Rex et semper Augustus. et Rex Sicilie Vniuersis fidelibus Imperii ad quos littere iste peruenerint. gratiam suam et omne bonum. Certum est et indubitatum . quod quidquid metalli in uisceribus terre per totum Imperium Romanum repperitur (reperitur). de antiquissimo iure Imperii fisco nostro attinet et Kamere Imperiali. nisi forte. nos ex habundanti gratia nostra. alicui fidelium nostrorum inde aliquid conferre uelimus. Intelleximus itaque. quod in quibusdam partibus Brixinensis Episcopatus. repperiuntur (reperiuntur) quedam argentifodine. ubi argentum fodi ualeat. et credatur inueniri. Nos autem de consueta regali beniuolentia. attendentes merita fidei ac probate deuotionis qua se dilectus princeps et fidelis noster Chunradus. Episcopus Brixinensis. inclitis nostris. progenitoribus. suis gratum reddidit et acceptum temporibus. recognoscentesque honestatis sue integritatem et obsequia maiestati nostre fideli studio ab ipso exhibita. concedimus ipsi. C. episcopo et successoribus suis. ut ipse ad suam et ecclesie sue utilitatem in illis argentifodinis. argentum fodi faciat et exquiri. secundum concessionem ipsi episcopo. a felicis memorie diui patrui nostri Regis Philippi liberalitatem (liberalitate) factam. quam etiam nos regia confirmamus auctoritate. Damus etiam licentiam et auctoritatem prefato. C. brixinensi episcopo et suis successoribus. vt ipsi ubicumque in episcopatu suo argentum in

uisceribus terre valeant repperire (reperire) fodiant. Ita tamen quod et nos in prouentibus siqui exinde proueniunt. secum ad medium debeamus participare. Datum Vlme. Anno domini Mill. CC. XIIII. V. Kal. Julii. Indictione secunda.

Ego Chunradus. Dei Gratia Metensis et Spirensis Episcopus. Imperialis aule Cancellarius. Recognovi.

a) Sigillum appendet, quod testatur copia reservata; nam Originale redditum est.

b) Indictio respondet anno Chr. notato.

c) Editum in Bar. de Hormayr Gesch. Tirols II. 267. n. 114. Ex Originali, quod aliquando Monachii fuit, Regesta II. 62. notarunt V. Kal. Junii (28. Maii); utrum bene, quaeritur; nam quinto Kalendas Julii respondet 27. Junio non 28. Mai ut H. de Lang. l. c. nec. 27. Mai ut dictus de Lang in Sendschreiben an Herrn Dr. J. F. Boehmer p. 58. ad numerum Boehmeri 3094. notavit.

DCIX.

1214. 23. Octob. apud Spiram.

Fridericus II. rex ecclesiae fratrum Sancti Sepulchri apud Spiram, Dietbrucgen dictae, ecclesiam Kircheim, cum decimis villarum, illuc pertinentium, et nominibus expressarum, donat, illamque monasterio Denkendorf subiicit.

In nomine Sancte et Indiuidue Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum rex Semper Augustus et rex Sicilie. Licet ad omnes sibi subiectos regalis clementia manum sue lar-

gitatis consueuerit extendere specialius tamen ecclesiis dei et ecclesiasticis personis beneficia potiora frequenter consueuit exhibere. Inde est quod nos aduertentes honestatem fratrum ecclesie sancti sepulcri deseruientium eorundemque necessitatem ut commodius et liberius possint diuino cultui insistere et habundantius in suis necessitatibus temporalia commoda percipere, de largitate regia pro salute tam nostra quam parentum nostrorum donamus et in perpetuam proprietatem largimur ecclesiam que Kircheim dicitur cum omnibus attinentiis eius, videlicet cum dote et decimis et hominibus utriusque Sexus et cum omni jure suo et Specialiter jus patronatus quod in memorata ecclesia habebamus, ecclesie sancti Sepulcri aput Spiram site que Dietbrucgen nuncupatur, ita ut prouisio siue procuratio illius ecclesie in uoluntate et potestate Meinhardi Venerabilis Prepositi de Denkendorf et omnium successorum suorum in perpetuum consistat, et ut uniuersos prouentos (us) ipsius ecclesie ad sustentacionem fratrum aput Dietbrucgen deo famulantium cum omni libertate dictus prepositus et eius successores in euum percipiant. Sunt autem hec nomina villarum decimas suas ad eandem ecclesiam persoluentium. Ipsa villa Kircheim. Biscouesheim. Morsheim. Rudersheim. Orberz et vetus Bolandia. Ad cuius rei perhennem memoriam presentem paginam conscribi iussimus et maiestatis regie bulla consignari, Statuentes, et regio edicto firmiter precipientes, ut nulli umquam persone alte et humili ecclesiastice vel seculari licitum sit hanc nostre donationis paginam infringere seu aliquo ei temeraritatis ausu obuiare, quod qui facere presumpserit in sue presumptionis penam centum libras auri puri componat, quarum medietas fisco nostro reliqua vero medietas iniuriam passis persoluatur. Testes huius rei sunt. Henricus Argentinensis episcopus. Comes Sigebertus de Werda. Henricus de Cunegesberc. Eberhardus de Salen abbas. Cunradus maior Spirensis ecclesie prepositus. Cunradus eiusdem ecclesie decanus. Henricus de Scharphenberc. Eberhardus dapifer de Tanne. Cunradus de Winterstetten. Anselmus de Iustingen et alii quam plures. Signum domini Friderici Romanorum regis et regis Sicilie Inuictissimi (*Monogramma*). Ego Cunradus Spirensis et Metensis episcopus Imperialis aule can-

cellarius, vice domini Sifridi Moguntine sedis Archiepiscopi et tocius Germanie Archicancellarii recognoui.

Acta sunt hec anno domini M. CC. Quartodecimo. Regnante domino Friderico glorioso Romanorum rege et semper Augusto, et rege Sicilie. Anno regni eius secundo. Datum aput Spiram decimo Kalendas Nouembris Indictionis tercie.

a) Sigillum, quod appendebat, interiit, remanentibus tamen filis sericis.

b) Indictio, dicta caesarea, et annus regni in Germania respondent anno Chr. expresso.

c) Ineditum, nec ullibi memoratum.

d) Dietbrucken fuit monasterium monialium ord. can. regul. Sancti Sepulchri Spirae sive apud Spiram, quod iam 1207 unitum fuit monasterio eiusdem ord. canonicorum Denkendorf in ducatu Wirtembergico. cnfr. chronicon episcoporum Spir. ap. Würdtwein nov. subs. I. 146 et diploma Conradi episcopi Spir. an. 1207. super hac incorporatione ap. eund. Würdtw. subs. V. 267. num. 93; conferatur etiam Besold in Monast. Wirtemberg. edit. 4. p. 447 — 512. ubi plura caesarea eiusdem monasterii diplomata occurrunt, p. 451. 456. 458. 460. 461. 464. 465. 466., repetita in in Franc. Petri Suevia ecclesiastica p. 260 — 264, nostrum autem deest.

DCX

DCX.

Anno 1215. 5. April. apud Augustam.

Fridericus II. archiepiscopis Salzburgensibus monasterium Chiemense confirmat, ac Eberhardo archiepiscopo indulget, ut in eodem monasterio sedem cathedralem erigat, cuius investitura ad archiepiscopos pertineat.

Fridericus dei gratia romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie dilecto principi suo Eberhardo Salzburgensi archiepiscopo gratiam suam et omne bonum. Quanto magis deuotionem tuam circa nos et imperium experimur. tanto affectuosius regali munificentia te et ecclesiam tuam intendimus honorare. Visis ergo priuilegiis. ecclesie tue et tibi a predecessoribus nostris imperatoribus et Regibus decenter indultis. que monasterium. Chiemense cum omni suo iure sicut ab eis possessum fuerat datum tibi et tue ecclesie continebant nos propter assiduum obsequium tuum tibi etiam et successoribus tuis per rati habitionem tradimus possidendum indulgentes ut in predicto monasterio sicut proponis sedem erigas kathedralem. in qua etiam inuestituram regalium ad te uolumus pertinere quia tempore abbacie a predecessoribus nostris et nobis tibi et successoribus tuis eandem inuestituram recognoscimus attributam. Et ut nostre recognitionis ueritas tanto sit euidentior. presentem cartam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Huic autem recognitioni interfuerunt. Chunradus Ratisponensis episcopus. Manegoldus patauiensis episcopus. Otto Vrisingensis episcopus Siuridus Augustensis episcopus. Waltherus Basiliensis electus. Leupoldus dux Austrie. Ludewicus palatinus Reni et dux Bawarie. Diopoldus Marchio de Hohinburch. Comes Hartmannus de Wirtenberch. Comes Ludewicus frater eius Comes Chunradus de Mosburch. Vlricus de peccah. Datum aput

Augustam. Nonis Aprilis anno ab incarnatione domini. M°.CC°.XV°. Anno Regni nostri romani III. et Sicilie.

a) Sigilli fracti et avulsi pauca minuta restant fragmenta, papyro separatim involuta, quae sibi adaptata potissimam regis imaginem, inscriptionis autem nonnisi tres aut quatuor priores litteras exhibent. Remansere etiam fila serica rubri coloris membranae inferius complicatae innexa.

b) Forma membranae in altitudinem, quam in latitudinem protensior, studio electa est. Lineae enim perpendiculares, praeter illas horizontales, plumbo ductae, in toto instrumento adhuc apparentes, vocabulum etiam primum instrumenti: Fridericus, primae huiusmodi perpendiculari lineae contrario ductu inscriptum, ac modo parte membranae inferius complicatae tectum, pro forma oblonga instrumenti primitus fiebant sive praeparabantur.

c) Indictio non exprimitur; annus autem regni Germanici respondet anno notato 1215. Anno regni Siciliae deficienti, relictum fuit spatium vacuum dimidae ultimae lineae.

d) Ineditum.

DCXI.

Anno 1215. 5. April. apud Augustam.

Fridericus II. rex confirmat amicabilem compositionem, inter Manegoldum Pataviensem episcopum et Luipoldum ducem Austriae et Styriae, super iure patronatus ecclesiae Wiennensis, advocatia fori in Scto Ypolito, Fodro et Landgericht in Swabdorf ac ponte in Ebelsperch, factam.

(*Chrismon.*) In. Nomine. Sancte. et. Indiuidue Trinitatis. amen. Fridericus secundus diuina fauente clementia. Romanorum Rex.

et semper Augustus et Rex Sycilie. Quia res geste diffidentie periculum et obliuionis dispendia pati frequenter consueuerunt. placuit per presentium continentia notitie modernorum et futurorum transmittere. quod cum quedam controuersia verteretur inter dilectum fidelem et consanguineum nostrum. Manegoldum. venerabilem patauiensis ecclesie Episcopum. et inter dilectum fidelem et consanguineum nostrum. Luipoldvm ducem Austrie et Stirie super iure patronatus. Wiennensis ecclesie et super Aduocacia fori in sancto Ypolito. et super generali terre iudicio. quod Lantgerihte nominatur. quod idem dux. in quibusdam bonis iam dicte pataviensis ecclesie suo iuri uendicabat. et in quibusdam bonis eiusdem ecclesie fodrum. quod vvlgo dicitur Marchetfuoter. ad se asserebat pertinere. nos iam dictis principibus in Ciuitate Augusta. in presentia regie sublimitatis constitutis. amicabilem inter eos concordiam fecimus et compositionem. ita quod ad petitionem nostram sepedictus dux. cessit liti. et in manus nostras renunciauit omni iuri. quod habuit. uel quod habere uidebatur in predicto patronatu. Wiennensis ecclesie. et in Aduocatia sancti Ypoliti. specialiter etiam renunciauit fodro et Lantgerihte. quod habuit in quodam predio pataviensis ecclesie. quod dicitur Swabdorf. et in omnibus illius attinentiis. et quicquid in hiis uel in aliis bone memorie pater suus de iure suo pataviensi ecclesie contulerat. ipse quoque pro se et pro vniversis suis successoribus eidem recognouit. renunciauit etiam liti. quam habuit pro ponte in Ebelsperch. Nos autem eandem Aduocatiam in sancto Ypolito et Lantgerihte. et Marchetfvter. sicut predictum est. et siqua sunt alia iura. que in causis predictis ad nostram pertinent donationem. de consensu et bona uoluntate ducis. concessimus predicto Episcopo. et ecclesie sue iure perpetuo possidenda. Vt autem hec nostre benignitatis gratia siue donatio. memorato Episcopo. rata maneat et inconvvlsa perpetuo perseueret. hanc paginam regio Karactere et sigilli nostri firmitudine fecimus insigniri. Hii sunt testes. qui huic celsitudinis et clementie nostre facto interfuerunt. Eberhardus. Salzburgensis Archiepiscopus. Otto frisingensis Episcopus Chunradus Ratisponensis Episcopus. Sifridus Augustensis Episcopus. Chunradus prepositus frisacensis. Ruodegerus

pataviensis Canonicus. prepositus in Cella. Vlricus pataviensis Canonicus. et plebanus in fischa. Heinricus pataviensis Canonicus et plebanus in probstorf. Lodwicus dux Bawarie. et palatinus Reni. Dipoldus Marchio de fohburch. Albertus Comes de Eberstein. Hartmanus Comes de Wirtenberch. Heinricus de Niffen. Werenherus de Bonlant. dapifer. Waltherus pincerna. et alii quam plures.

Signum domini friderici secundi Romanorum Regis invictissimi et Regis Sycilie. *(Monogramma.)*

Acta sunt hec anno dominice incarnationis. M°. CC°. XV°. Indictione. III. regnante domino Friderico secundo Romanorum Rege glorioso. et Rege Sycilie. Anno regni eius tertio.

Datum apud Augustam. Nonis Aprilis.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere autem fila viridis et rubri coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio et annus regni Germanici (nam Siculi annus non est expressus) concordant cum anno Chr. notato.

c) Editum in Hundii metrop. I. edit. Monac. 380. edit. Ratisb. 253. in Tolner histor. Palat. cod. dipl. 66. Lünig. spicileg. eccles. II. Theil. 780. Hansiz German. Sacr. I. 359. et in Baron Hormayrs Archiv für Gesch. Jahrg. 1828. S. 142.

DCXII.

Anno 1215. 11. April. apud Ulmam.

Fridericus II. rex Caesariensi monasterio possessiones nominatim expressas, ius patronatus in ecclesiis Holzen et Osteheim, capellam in Uolparsteten, curtes in Abbateshoven, Scratenhoven et Sundernheim, confirmat, quas illi Heinricus de Sleifdorf et uxor eius Adelheidis vendiderunt et donaverunt.

(*Chrismon.*) F. dei gratia romanorum rex et semper augustus. rex siciliae. uniuersis Christi fidelibus. perpetua pace gaudere. Cum in domo dei in eminenti specula constituti omnibus salutaria et honesta petentibus simus debitores. maxime tamen religiosam eligentibus uitam clementiae nostrae decet adesse presidium. Ea propter notum facimus uniuersis presentem paginam inspecturis. quod heinricus de sleifdorf et uxor eius adelheidis predia et possessiones que propris (propriis) duximus exprimenda uocabulis. scilicet ius patronatus super ecclesiam in holzen. capellam in volparsteten et quasdam alias possessiones ibidem cum uniuersis attinentiis suis. ius patronatus super ecclesiam in ostehein cum attinentiis suis. curtem in abbateshouen. curtem in scratenhouen. predium in sundernhein. hereditario iure ad se deuoluta cesariensi aecclesiae uendiderunt. et ut rata esset ipsa uenditio. mediantibus ottone comite de Kirberc. bertoldo comite de lechesgemunde. sibotone de albecge. cunrado de stoefelen. volrico de diepdesburc. et aliis honestis uiris predicto cenobio per manum nostram nichil iuris in prelibatis possessionibus sibi retinentes donauerunt. Verum quia nichil est annis uelotius. ne asucrescente (a succrescente) predictorum uenditorum sobole. seu ab aliis hereditatem suam sibi usurpantibus. fratribus et conuentuj de cesarea ulla deinceps de

contractu prenominato ualeat suboriri lis aut questio. ipsum contractum assensu partium approbantes ratum habemus. et contra uniuersas futuri temporis insidias priuilegium sigilli nostri signatum caractere. et auctoritatem regiae magestatis opponimus. huius autem facti testes sunt rvodolfus palatinus de tuwingen. Cuono abbas de elewangen. hartmannus comes de dilingen. hartmanus comes de wirtinberc Siboto de albecge et witegov frater eius. heinricus de bochesberc. Anshelmus de iustingen. Wernherus de elewangen. Volricus et Cunradus frater eius de werde. heinricus de werde. Waltherus de nallingen. Cunradus de clingensteine et alii quam plures. Acta sunt hec aput ulmam anno ab incarnatione domini Millesimo. ducentessimo (ducentesimo) xv°. iii°. ydus aprilis. indictione. III°. glorioso romanorum rege friderico regnante feliciter.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, remanente parte filorum rubri et viridis coloris disrupta, membranae inferius complicatae adhuc adhaerente.

b) Indictio respondet anno indicato 1215.

c) Ineditum.

DCXIII.

Anno 1215. 21. April. Wormatiae.

Fridericus II. rex domui hospitalis Sancti Antonii, sitae in dioecesi Viennensi, donat et confirmat ius patronatus ecclesiae suae de Memmingen, in dioecesi Augustensi constitutae.

Fredericus. secundus. dei. gratia. Romanorum. Rex. et. semper. Augustus. et. Rex. Syciliae. Regi Regum deo omnipotenti placere credimus et ad utriusque uitae nobis prodesse felicitatem. Si commodis locorum quae diuinis mancipata sunt obsequiis prouidere curauimus et de collatis nobis a deo manum ipsis porreximus largitatis. Animaduertentes igitur multam relligionem pariterque honestatem domus hospitalis mirifici confessoris dei sancti Antonii sitae in diocesi Viennensi. quodque pauperibus Christi in loco eodem innumera caritatis beneficia liberaliter erogentur. vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus innotescendum. quod nos eidem domui hospitalis in subsidium sustentationis ibidem languentium hominum pro salute nostra et remedio animarum progenitorum nostrorum donauimus et perpetuo proprietatis titulo possidendum confirmauimus jus patronatus aecclesiae nostrae de Memmingen in diocesi Augustensi constitutae. cum dote et hominibus utriusque sexus ad ipsam pertinentibus aecclesiam et cum vniuersis iusticiis suis et rationibus sicut progenitores nostri eam possederunt et nos quoque ipsam hactenus tenuimus et possedimus. statuentes firmiter. ut prelibatae domus hospitalis sancti Antonii fratres, quoniam aecclesiam eandem per manum fratris Bosonis eis contraditam transmisimus. liberam de ipsa omni tempore pro utilitate sua disponendi habeant facultatem. Ad huius autem donationis et confirmationis nostrae robur perpetuum. hanc paginam exinde conscriptam sigilli nostri charactere iussimus communiri. Testes hii sunt. Sifridus Maganti-

nus archiepiscopus apostolicae sedis legatus. Conradus Metensis et spirensis episcopus Imperialis aulae Cancellarius. Liupoldus wormatiensis episcopus. Comes albertus de Euirstein. Bertholdus de Niffen et heinricus filius eius. Wernherus et Philippus fratres de bonlandia. et alii quam plures.

Datum wormatiae anno dominicae Incarnationis Millesimo. CC°. XV°. XI. Kal. Madii Indict. II.

a) Sigillum integrum, etsi in ora dextra nonnihil laesum, quod olim ex duplici funiculo ex filis. sericis rubri et viridis coloris contexto appendebat, posteriori aevo disruptis filis, et partibus illorum superioribus plane deperditis aut reiectis, nunc extrema fili unius ipsum sigillum permeantis parte, sed inverso plane imaginis situ, foraminibus membranae inferius complicatae insertum conspicitur.

b) Indictio negligenter scripta atque erronea est, loco verae indictionis III^{tiae}.

c) Editum in Feyerabend Ottenbeurens Jahrbüchern II. 830. num. 6. et in Baron Hormayrs Wien II. Jahrg. I. Bd. Urkundenb. 3. num. 195.

d) Desumtum ex Archivo civitatis Memmingen.

DCXIV.

Anno 1215. 28. Julii. Aquisgrani.

Fridericus II. rex Cunradum puerum, filium Lodoyci de Stolberch, haereditarii ministerialis sui, Sancto Kyliano tradit et offert, ut sit ministerialis Erbipolensis ecclesiae, et pertineat ad officium dapiferatus huius ecclesiae.

Fredericus dei gratia Romanorum Rex. et semper augustus. et Rex Sicilie. Vniuersis presentem paginam inspecturis gratiam suam et

et omne bonum. Ne forte ea, que per nos facta sunt, processu temporis reuocentur in dubium, quasi non facta. iuxta considerationem, dignum censuimus ea scriptis autenticis commendare. ut si de hiis incipiat questio suboriri. quod factum sit, scripture testimonio conprobetur. Ad notitiam igitur omnium fidelium nostrorum presentium et futurorum uolumus peruenire. quod nos unum de pueris fidelis nostri Lodoyci de Stolberch, qui nostri ministeriales sunt hereditarii. Curradum nomine, dedimus Sancto Kyliano. ita ut ipse decetero sit ministerialis Erbipolensis ecclesie. et pertineat ad officium dapiferatus ipsius ecclesie. Dedimus quoque iam licentiam et auctoritatem dilectis fidelibus nostris Sibotoni de luden. et Friderico de druhindingen. ut ipsi iandictum (iamdictum) puerum Curradum scilicet nomine filium iandicti Lodoyci de Stolberch ex parte nostra offerant altari Sancti Kyliani maioris ecclesie in Erbipoly, sicut uerum et iustum ministerialem. Huius rei testes sunt. Lodoycus dux bawarie, Comes Albertus de Ebersteyn. Guarnerius de bollan (Bonlandia), senescalcus Imperii, et Philippus frater suus. Walterus de Siph (Schipfe), pincerna. Albertus de tiefen (Niffen?). Henricus, magister Coquine de rotinburc, et alii quam plures. Vt autem hec nostra donatio perpetue firmitatis robur optineat, hoc presens et autenticum instrumentum conscribi iussimus. et sigillo nostro communiri. Datum Aquisgrani Anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo quintodecimo. quinto Kalendas Augusti, tertie Indictionis.

a) Sigillum fractum est et maxima ex parte destructum. Tria eius fragmenta parva appendent ex duobus funiculis, qui contexti sunt ex filis sericis rubri, viridis et albi coloris. Dicta fragmenta simul computata imaginis nonnisi caput, pectus ac pedes, aliquas etiam inscriptionis, incipientis nimirum ac mediae, litteras exhibent.

b) Indictio respondet anno indicato.

c) Ineditum.

DCXV.

Anno 1215. 16. September. Herbipoli.

Fridericus II. rex domum hospitalis in civitate Wirceburgensi, ad Hospitale Jerosolomitanum Sancti Johannis Baptistae, ex donatione Ruberti Curui, pertinentem, cum omnibus eius hominibus et bonis in tuitionem protectionis suae recipit.

Fridericus diuina Fauente gratia Romanorum Rex semper augustus. Rex Sicilie. Licet ad uniuersa loca diuino cultui mancipata. regie maiestatis patrocinium generaliter debeat extendi. ea tamen specialius misericordie uisceribus amplectitur inquibus in pauperes peregrinos et aduenas. ampliora karitatis opera iugiter exercentur. Adtendentes igitur hospitale iherosolimitanum. in honore beati iohannis baptiste dedicatum omnium necessitatem pacientium. Commune semper exstitisse refugium. destructioni ipsius et desolationi. ex intimo corde condolentes. restaurationis eius curam non inmerito et operam duximus inpendendam. Nouerit ergo tam presens regni fidelium etas. quam futurorum successura posteritas. quod nos domum hospitalis in ciuitate Wirceburgensi sitam. supradicto hospitali sancti iohannis Ruberti curui donatione pertinentem. cum omnibus personis in ipsa domo diuino obsequio mancipatis. seu inposterum mancipandis. cum omnibus etiam bonis tam mobilibus. quam inmobilibus. que uel nunc habent vel processu *temporis* iusto acquisitionis titulo poterint adipisci. in tuicionem protectionis nostre recepimus. Generaliter *itaque sub* obtentu gratie nostre precipimus. ut nulla omnino humilis uel alta persona. secularis uel ecclesiastica. prememoratam domum. aut fratres in ea deo militantes inpersonis seu in rebus molestare audeat. uel quamcumque ipsis iniuriam uel uiolentiam inferre. Quod siquis facere presumpserit. lese ma-

iestatis reus. a gratia nostra se sentiat alienum. et graui animaduersione plectendvm.

Datum (apud) Herpipolim Anno abincarnatione domini Mº. CCº. XVº. Indictione. iiiiª xvi decima Kalendas octobris.

a) Sigillum fractum, olim appensum quatuor funiculis ipsum fragmentum adhuc permeantibus sive penetrantibus, ex uno illorum annexum est potius, quam innexum membranae inferius complicatae. Nam funiculi illi ex filis sericis ita contexti, ut binorum fila coloris sint purpurei, aliorum autem binorum viridis, omnes sunt disrupti, parte superiore eorum deperdita, solo illo, qui praedictus est, excepto. Fragmentum vero istud imaginem regis, a pectore et manu sinistra usque ad pedes eius exhibet, cum aliquibus tantum inscriptionis litteris.

b) Indictio caesarea quidem, attamen octo diebus anticipata, respondet anno Chr. indicato 1215. In nota diei abundat vocabulum decima.

c) Ineditum.

d) Quaedam syllabae in Originali hinc inde detrito lectu difficiles litteris cursivis indicatae sunt.

DCXVI.

Anno 1215. 22. Decembr. apud Egram.

Fridericus II. rex, considerato praecipue commodo imperii, tale cum episcopo et ecclesia Ratisponensi concambium init, ut episcopus imperio donaret civitatem Noerdelingen et villam Orngov cum praepositura huius loci, e converso autem a rege duo monasteria Ratisponae, inferius et superius, reciperet, cum proprietate, advocatia et attinentiis eorum; quod factum est, cum utrique monasterio abbatissae electae solum modo praeessent.

(*Chrismon.*) In. nomine. sancte. et. indiuidue. Trinitatis. Amen. Fredericus. secundus. Dei. Gratia. Rex. Romanorum. et. Sycilie. semper. Augustus. Omnibus. Christi. fidelibus. in. perpetuum. Cum ex debito maiestatis nostre regie dilectos fideles nostros principes. beniuolentia. quemadmodum ipsi nos fidelitate. pie respicere teneamur. dignum animaduertimus. ut rationabilibus eorum peticionibus annuamus. et profectibus. maxime in causis. que ad honorem et profectum tam imperio. quam ipsis uidentur petentibus prouenire. Igitur. cum ecclesia Ratisponensis habuisset uillas quasdam proprias. Noerdelingen et Orngov. usibus imperii commodas. et imperium habuisset Ratispone. duo monasteria. inferius scilicet. et superius. claustra sanctimonialium. usibus similiter ecclesie Ratisponensis commoda. considerata fidelitate ac deuotione. quam ecclesia Ratisponensis progenitoribus nostris felicis memorie. auo. patri. ac patruo nostro. in imperio frequenter exhibuit. consideratis quoque laboribus et grauibus expensis. quas electe predictorum monasteriorum fecerunt hactenus post imperium. pro iure ipsarum suscipiendo. considerato etiam precipue commodo imperii cui tenemur intendere. consilio principum qui presentes erant.

et curie nostre. de predictis. ciuitate uidelicet Noerdelingen et uilla Orngov cum prepositura eiusdem loci. et de pretaxatis monasteriis. cum uenerabili Ratisponensi episcopo Chvnrado. dilecto consanguineo nostro, fecimus permutationem et concambium. ipse enim episcopus ciuitatem Noerdelingen et uillam Orngov. cum prepositura eiusdem loci. et aduocatia utriusque cum omni iure proprietatis. sicut ecclesie sue attinuerunt. imperio donauit. et nos econuerso. illa duo cenobia. Ratispone. inferius monasterium et superius monasterium. donauimus ecclesie Ratisponensi. cum proprietate. atque aduocatia. et omnibus attinenciis. et cum omni eo iure quod imperium in eis habuit. ut uacantibus abbaciis in predictis monasteriis. electe ipsorum temporalia. et omnia iura alia. que hactenus requisierunt ab imperio. deinceps perpetuo requirant ab ecclesia Ratisponensi. et episcopus eiusdem ecclesie quicumque tunc fuerit pro tempore. illa donet et conferat sine impedimento. vt autem hec nostra permutatio et concambium. rata permaneant in perpetuum. et deinceps nec per obliuionem. nec per calumpniam cuiusquam cedere possint in irritum. presentem paginam. sigillo nostre maiestatis. et subnotatione testium fecimus roborari. Testes hii sunt. Chvonradus metensis et Spirensis episcopus. imperialis aule cancellarius. Otto dux Meranie. Chvnradus Burgrauius de Nvrenberch. Boppo comes de Hennenberch. Comes albertus de Ebersteine. Markio de Baden. Gebehardus Lantgrauius de Livkenberge. Heinricus de Niffen. Wernherus de Laber. Anshelmus Marscalcus de Ivstingen. aduocatus de Raprehteswilaer. Wolframmus et Chvnradus fratres de Kranchesperch. Albertus Rindesmovl. Siboto de Tanhvsen. Chvonradus de Werde. et alii quam plures.

Signum. Domini. Frederici. Romanorum. Regis. inuictissimi. *(Monogramma)* secundi. et. Regis. Syciliae.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis. M.CC.XV. Indictione. IIII. Data apud Egram. per manus Chvnradi. Metensis et Spyrensis episcopi Imperialis aule cancellarii. vndecimo Kalend. Janvarii.

a) Sigillum illaesum et bene expressum appendet ex filis purpurei et flavi coloris.

b) Indictio, dicta caesarea, concordat cum anno Chr. indicato.

c) Editum in Hund. metr. III. edit. Mon. 4. edit. Ratisb. 3, in Lünig spicil. eccl. III. Theil von den Aebtiss. 179. et in Ried cod. Ratisb. I. 310. n. 330.

DCXVII.

Circ. Ann. 1215. inter an. 1213 — 1215.

Fridericus II. rex locum Wechterwincle, ex petitione Chunradi praepositi et omnium monialium, contra infestationes malorum, in protectionem suam suscipit.

F. dei gratia romanorum rex et semper augustus et rex sicilie. omnibus hanc paginam inspicientibus. salutem et pacem. Regie clementie esse dinoscitur. ut ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum commoditatibus prompta benignitate intendamus. et eas in bono statu conseruare sumopere studeamus. Hac inducti consideratione. notum facimus uniuersis. quod locum qui dicitur wechterwincle. ex peticione. C. prepositi et omnium dominarum ibidem deo famulancium. in nostram suscepimus protectionem ac defensionem. omni studio uolentes ipsum locum sub nostra tuicione a malorum inpeticione defensare. Grauiter enim nobis prefatus sacer conuentus conquestus est de malis et pressuris suis que patitur. Vnde presenti scripto omnibus innotescere ratum duximus. ut quicumque contra iusticiam locum infestauerit nostram offensam se incurrere non dubitet.

a) Sigillum aliquod appendet ex segmento membranaceo. Facta comparatione sigillorum aliis instrumentis adhuc appensorum, deprehensum est, illud primum sigillum Friderici II. minoris moduli minorisque elegantiae mutatum esse in fine anni 1215 aut initio anni 1216.

b) Caret istud instrumentum omnibus notis chronologicis. Nichilominus ipsum sigillum mox descriptum inter annum 1213 ac 1215 illud collocandum esse demonstrat. Nomen praepositi inventum est in libro cop. Wechtersw. f. 25 et 26. ad an. 1227, quem secutus est Wernherus praep. 1229. ibd. fol. 22.

c) Ineditum.

DCXVIII.

Anno 1216 nobis, antiquis 1215. 30. Januarii Hagenowiae.

Fridericus II. rex domui fratrum Teotonicorum capellam castri in Nvoremberch donat, quae post obitum Chunradi tunc capellani ibidem, ad usus eorumdem in omnibus pertineat.

Fridericus. Secundus diuina fauente Clementia. Romanorum Rex et semper Augustus. et Rex Siciliae. Ex affluentia regie liberalitatis. vniuersarum ecclesiarum utilitatibus atque promotionibus omnimodis intendentes. ad eorum amplius atque specialius locorum prouectum et sublimationem serenitatis nostre animum acclinare proposuimus. quae non solummodo ad certa crucis Christi obsequia sunt addicta. uerum etiam ad sustentationem pauperum disposita esse dinoscuntur. Hinc est. quod nos presentium certitudine ad notitiam tam presentis eui quam futurae posteritatis uolumus peruenire. quod nos attendentes honestatem et laudabilem conuersationem militie et fratrum domus teotonicorum. pro-

curare cupientes eiusdem domus necessitati. de pura conscientia atque de mera munificentia nostra. ad honorem dei omnipotentis a quo cuncta bona recognoscimus. et ob reuerentiam piae matris eius perpetuae uirginis Marie. donamus et tradimus atque largimur memorate domui militie et fratrum teotonicorum Capellam castri in Nvoremberch. quam nunc ex donatione nostra tenet et possidet. Chuonradus clericus noster cognomine Episcopus. eo tamen modo fecimus predicte domui hanc donationem. quod post obitum prefati Chunradi clerici et capellani eiusdem capelle sepedicta domus teotonicorum habeat et teneat capellam ipsam tam in ecclesiasticis quam in temporalibus ad suos et domus sue usus ex nostra regia donatione et confirmatione. Super quo hoc scriptum ipsi domui fieri iussimus sigillo maiestatis nostre communitum. Huius rei testes sunt Chuonradus Metensis et Spirensis Episcopus Imperialis aule Cancellarius. Hermannus Marcrauius de Baden. Comes Gerardus de Diets. Eberhardus de Eberstein. Albertus Rindesmule. Ph(ilippus) de bonlandia. Marquardus de wagowe. et alii quam plures.

Dat. Hagenowie. Anno domini Millesimo CCXV. Tertio Kalendas Februarii. Indictionis Quartae.

a) Sigillum, in ora paulisper laesum, attamen integrum et optime expressum, appendet ex quadruplici funiculo, contexto ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Indictio notata respondet anno Chr. 1216; annus ergo expressus 1215 ex calculo Italico, dicto Florentino, desumtus est, qui initium anni die 25. Martii incipiens, tribus mensibus procrastinat. Cfr. de Lang Sendschreiben an Dr. J. F. Boehmer. p. 58. et Regesta IV. 740.

c) Editum in deduct. 1796. Br. Usurpationsgeschichte in dem Gebiete des h. d. Ritterord. S. 237. Beilage 119.

DCXIX.

DCXIX.

Anno 1210. 11. Maii. Herbipoli.

Fridericus II. rex, consuetudini sive iuri, occupandi res decedentium episcoporum et abbatum et proventus ecclesiarum cathedralium et abbatiarum per totius anni circulum in usus proprios convertendi, quam antecessores sui exercuerunt, renuncians, Ottoni Herbipolensi episcopo eiusque ecclesiae speciale hoc privilegium largitur.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Fridericus Dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus et Rex Sicilie. Illud priuilegium quod rex regum et dominus dominantium in memoriam ecclesiasticae libertatis preciosissimo sanguine suo scripsit. ita regio decet custodiri fauore. ut numquam in eo quicquam appareat. quod illius gratie uideatur obtenebrare decorem. que a tanto procedit auctore. Ut ergo post terreni regni fastigia securius expectare possimus ab ipso felicitatis aeternae coronam. cum nostre deuotionis ministerio permanserit in sue integritatis gloria sponsa christi. grata sui status debet a nobis percipere pocius incrementa. quam ipsius quasi sub quadam specie seruitutis probrose sinamus indumenta discerpi. Ideoque ueterem illam consuetudinem detestantes. quam antecessores nostri romanorum imperatores et reges in cathedrales exercuerunt ecclesias et abbatias. quae manu regia porriguntur. quod uidelicet decedentibus episcopis et prelatis earum. non tam reliquias rerum mobilium eorundem consueuerant occupare. ac conuertere in usus proprios occupatas. quam etiam redditus et prouentus per tocius anni primi circulum ita prorsus aufere. (auferre) ut nec solui possent debita decedentis. nec succedenti prelato necessaria ministrari. eidem consuetudini siue iuri. uel quocumque uocabulo exprimatur. renunciamus

penitus ob reuerentiam crucifixi. cuius in nostro corpore baiulamus insignia. illud eisdem ecclesiis perpetuo iure donantes. et auctoritate regia statuentes. ut ecclesiarum omnium libertate integra semper in omnibus permanente. res et redditus huiusmodi in soluenda debita decedentium prelatorum. et in alios ecclesiarum usus per manus legitime succedentium libere conuertantur. Obsecramus igitur easdem ecclesias et in uirtute altissimi contestamur. quatinus ob hanc munificentie nostre gratiam. nostrum apud altissimum supplere dignentur piis orationibus inperfectum. et post terminum uitae nostre anniuersarium obitus nostri diem in perpetuae commendationis memoria retinere. vt autem hec omnia sicut a bonae uoluntatis nostre liberalitate procedunt perpetuis temporibus maneant inconuulsa. presens inde priuilegium dilecto principi et amico nostro speciali. Ottoni herbipolensi episcopo. et ecclesie suae wirceburgensi quam pio fauore amplectimur. conscribi precepimus. et nostre ymaginis inpressione muniri. statuentes ut quisquis contra hec presumpserit aliquid attemptare. centum libras auri pro pena conponat. quarum medietas fisco cedat. et pars altera illis quibus iniuria fuerit irrogata. Testes huius rei sunt. Otto Frisingensis Episcopus. Cunradus Ratisponensis Episcopus. Otto herbipolensis episcopus. Sifridus Augustensis Episcopus. Siboto hauelburgensis Episcopus. Engelardus Coloniensis Electus. Vlricus Pattauiensis Electus. Heinricus hersveldensis Abbas. Cvono Elewacensis Abbas. Hartmannus fuldensis Electus. Ludewicus Comes palatinus Reni. et dux bawarie. Lupoldus dux austrie. Otto Dux Miranie. Hermannus Marchio de Badin. et Fridericus frater eius. Ansalmus Marscalcus. Wernerus Dapifer. Walterus pincerna Regalis aule. et alii quam plures.

Signum Domini Friderici secundi Romanorum Regis inuictissimi et semper Augusti et Regis Sicilie. *(Monogramma.)*

Ego Cunradus Metensis Episcopus Imperialis aule Cancellarius. vice domini Sifridi Moguntiensis Archiepiscopi. Totius Germanie Archicancellarii Recognoui.

Acta sunt haec Anno ab incarnatione domini M°.CC°.XVI°. Indictione IIII[a]. Regnante domino Friderico secundo. Romanorum rege Inuictissimo et semper Augusto. et Rege Sicilie. Dat. Herbipoli per manum Bertoldi Regalis Aule protonotarii V. Idus Maii, Anno Regni eius quarto.

a) Sigillum illaesum appendet ex filis sericis viridis, rubri et albi coloris.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Plura dantur huius renunciationis exemplaria, vix aut parum inter se discrepantia. Ex quibus hocce exemplar in originali saltem lingua ineditum; nam versio eius Germanica habetur in Frisio ap. Ludewig Geschichtschr. v. Würzb. p. 548 et in Lünig Spicileg. eccles. II. Theil 945. Editum etiam est alterum exemplar archivi episcopalis Ratisbon. an. 1216. 13. Maii in Ried. Cod. dipl. Ratisb. I. 312. num. 331.

DCXX.

Anno 1216. 13. Maii. Herbipoli.

Fridericus II. rex generali privilegio renunciat consuetudini, quam antecessores sui, Romanorum imperatores et reges, exercuerunt in cathedrales ecclesias et abbatias, reliquias rerum mobilium occupandi, et proventus per totius anni circulum in proprios usus convertendi.

(*Chrismon.*) In. nomine. sancte. et. indiuidue. trinitatis. Fredericus. secundus. dei. gratia. Rex. Romanorum. et. sycilie. semper. Augustus. Illud priuilegium quod rex regum et dominus dominantium. in memoriam ecclesiastice libertatis pretiosissimo san-

guine suo scripsit. ita regio decet custodiri fauore. ut nunquam in eo quicquam appareat. quod illius gratie uideatur obtenebrare decorem. que a tanto procedit auctore. vt ergo post terreni regni fastigia. securius expectare possumus ab ipso felicitatis eterne coronam. cum nostre deuotionis ministerio permanserit in sue integritatis gloria sponsa Christi. grata sui status debet a nobis incrementa percipere potius. quam ipsius. quasi sub specie quadam seruitutis probrose sinamus indumenta discerpi. Ideoque ueterem illam consuetudinem detestantes. quam antecessores nostri Romanorum imperatores. et reges. in cathedrales exercuerunt ecclesias. et abbatias que manu regia porriguntur. quod uidelicet decedentibus episcopis et prelatis earum non tam reliquias rerum mobilium eorundem consueuerant occupare. ac conuertere in usus proprios occupatas. quam etiam redditus et prouentus per totius primi anni circulum. ita prorsus auferre. ut nec solui possent debita decedentis. nec succedenti prelato necessaria ministrari. eidem consuetudini siue iuri. uel quocumque uocabulo exprimatur. renunciauimus penitus. ob reuerentiam crucifixi. cuius in nostro corpore baiulamus insignia. illud eisdem ecclesiis perpetuo iure donantes. et auctoritate regia statuentes. ut ecclesiarum omnium libertate integra semper in omnibus permanente. res et redditus huiusmodi. in solvenda debita decedentium prelatorum. et in alios ecclesiarum usus per manus legitime succedentium libere conuertantur. Obsecramus igitur easdem ecclesias et in uirtute altissimi contestamur. quatenus ob hanc munificentie nostre gratiam. nostram aput dominum supplere dignentur piis orationibus imperfectum. et post terminum uite nostre obitus nostri diem anniuersarium in perpetue commendationis memoria retinere. Vt autem hec omnia. sicut a nostre bone uoluntatis liberalitate procedunt. perpetuis temporibus maneant inconuulsa. presens inde priuilegium conscribi precepimus. et nostre ymaginis impressione muniri. statuentes. ut quisquis contra hec aliquid attemptare presumpserit. centum libras auri pro pena componat. quarum medietas fisco cedat. et pars altera illis quibus fuerit iniuria irrogata. Testes hii sunt. Albertus Meideburgensis archiepiscopus. Otto frisingensis episcopus. Chuonradus Ratisponensis episcopus. Otto Her-

bipolensis episcopus. Sifridus Augustensis episcopus. Sigboto havelbergensis episcopus. Engelbertus coloniensis electus. Volricus Patauiensis electus. Heinricus hersveldensis abbas. Chvono Elwacensis abbas. Hartmannus fvldensis electus. Lodewicus palatinus Reni dux Bawarie. Livpoldus dux austrie Styrieque. Otto dux Meranie. Hermannus marchio de Baden. et frater eius fredericus. Anshelmus Marscalcus. Werenherus dapifer de Bonlandia. Waltherus de Schipfe. pincerna aule regalis. et Alii quam plures.

Signum. domini. Frederici. secundi. Regis. Romanorum. inuictissimi. et Regis Sicilie. *(Monogramma.)*

Ego Chuonradus Metensis episcopus. uice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi tocius Germanie archicancellarii imperialis aule cancellarius. recognoui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. cc°. xvj°. Indictione. iiij[a]. Regnante domino Frederico Romanorum rege Gloriosissimo. et rege Sycilie. Data Herbypoli. per manum Berhtoldi regalis aule protonotarij III°. Idus Maii. Anno regni regis Frederici. Quarto.

a) Sigillum illaesum et optime expressum appendet ex filis sericis rubri, viridis et albi coloris.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Editum in Ried cod. dipl. Ratisb. I. 312. num. 331.

d) Desumtum ex archivo episcopali Ratisbon. Eiusdem tenoris diplomata eodem tempore alii quoque episcopatus recepere cnfr. illud Wirceburg. episcopo datum in num. praecedenti an. eod. 1216. 11. Maii, quod etiam differt in primo teste.

DCXXI.

Anno 1216. 15. Maii. Herbipoli.

Fridericus II. rex concambium cum episcopo Ratisponensi de inferiori et superiori monasteriis in civitate Ratisponensi initum retractat, et principum Herbipoli congregatorum sententiam, de non alienandis principatibus regni, confirmat.

(*Chrismon*). In nomine. sanctae. et. indiuiduae. Trinitatis. Amen. Fredericus. diuina. fauente. clementia. Romanorum. Rex. et. semper. Augustus. et. Rex. Sycilie. Cum ad summam instantiam precum dilecti principis nostri Chuonradi. Ratisponensis episcopi. cum ipso Episcopo nomine Aecclesiae sue quoddam concambium fecissemus de duobus principatibus scilicet de Inferiori et Superiori monasteriis in ciuitate Ratisponensi constitutis. pro quibusdam aliis praediis et possessionibus ad praenominatum Episcopum et Episcopatum suum pertinentibus. accedens ad praesentiam regiae excellentiae in curia sollempni Herbipoli. domina Tvota inferioris monasterii abbatissa. personaliter. necnon domina. Gerdrudis superioris monasterii abbatissa per suum procuratorem cum aliqua honesta parte utriusque Capituli. coram principibus et baronibus. totaque curia nostra. graui querimonia proposuit. se et Ecclesias suas. indebite a nobis fore grauatas. atque super hoc adiutorium principum et sententiam postularunt. proponentes firmiter. nullum principatum posse vel debere commutari. vel aliquomodo alienari ab imperio vel ad aliam personam quoquomodo transferri. sine uoluntate praesidentis principis illius principatus. et de consensu eiusdem ministerialium. Super quo facta a nobis inquisitione. per sensentiam principum. et subsecutionem tam nobilium quam baronum. atque ministerialium. et omnium qui tunc aderant. judicatum est. nullum principatum posse vel debere no-

mine concambii vel cuiuscumque alienationis ad aliam personam ab Imperio transferri. nisi de mera uoluntate et assensu principis presidentis et ministerialium eiusdem principatus. Nos igitur iustitiae protectores. nullo conamine iuri reniti uolentes. sententiam illam duximus approbandam. et quod contra memoratas aecclesias et earum principes pro Episcopo et Ecclesia Ratisponense. minus debite feceramus. omnino retractauimus in continenti. praesente Episcopo praelibato. Et ne de cetero similia contingant. decernimus et perpetua firmitudine obseruandum iudicamus. quod non liceat ulli Successorum nostrorum Romanorum Regi seu Imperatori. principatum aliquem. ut superius sententiatum est. ab imperio alienare aliquomodo. sed omnes principatus in suo jure et honore debere conseruare. Ut itaque dilecta fidelis nostra praenominata T. et successores ejus Abbatissae. et Ecclesia Regalis Inferioris monasterii. hac sententia gaudeant In antea et glorientur in perpetuum. hoc scriptum eis indulsimus. sigillo Maiestatis nostrae roboratum. Huius rei sunt testes. Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus. Engelbertvs. Electus Coloniensis Archiepiscopus. Otto. Wirzburgensis episcopus. Otto. frisingensis episcopus. Sifridus. Augustensis Episcopus. Volricus. Pattauiensis Electus. Chuono. abbas Elwacensis. Lodwicus. Dux bawarie. Comes palatinus Reni. Hermannus et fridericus fratres. Marchiones de baden. Gerardus. Comes de Diets. Otto. dux. Meraniae. Hartmannus et Ludwicus. Comites de wirtenberch. Comes Ernesto de villeseke. Bertoldus nobilis de niffen. et filii sui. Hainricus et Albertus. Gerardus. Comes de Rineck. Anshelmus de Iustingen. Marescalcus Imperii. Waltherus pincerna Imperii. Wernherus de bonlandia. Dapifer. Dieto de Rauensburch camerarius Imperii. et alii quam plures.

Signum. Domini. Friderici. Secundi. Romanorum. Regis et. semper. Augusti. et. Regis. Syciliae. *(Monogramma.)*

Ego Chuonradus. Metensis et Spirensis Episcopus. Imperialis

aule Cancellarius Uice domini Sifridi. Moguntini Archiepiscopi et totius Germanie Archicancellarii. recognoui.

Acta sunt Herbipoli haec. Anno ab Incarnatione domini. Millesimo ducentesimo XVI. Regnante gloriosissimo domino Friderico. dei gratia secundo Romanorum Rege et semper Augusto. et Inclito Rege Siciliae. Anno Romani Regni eius quarto. Sicilie uero XVIII°. feliciter.

Datum per manus Bertoldi de niffen. Regalis aule prothonotarii. Anno praenotato. Idus (Idibus) Maii. Indict. quartae.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere autem fila serica rubri et viridis coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Ineditum quidem; attamen ab alio exemplari, quod monasterium superius Ratisponae obtinuit, vix et nonnisi in aliquibus vocabulis differens, de qua differentia in recensione alterius exemplaris plura dicta sunt.

DCXXII.

Anno 1216. 15. Maii. apud Herbipoli.

Fridericus II. concambium, cum episcopo Ratisponensi de inferiori et superiori monasteriis in civitate Ratisponensi initum, retractat, et principum Herbipoli congregatorum sententiam, de non alienandis principatibus regni, confirmat.

(*Chrismon.*) In nomine. sancte. et. indiuidue. Trinitatis. Fridericus. secundus. dei. gratia. Romanorum. Rex. et. semper. Augustus Rexque. Sycilie. Cum ad summam instantiam precum dilecti principis

principis nostri Chonradi ratisponensis episcopi cum ipso episcopo. nomine ecclesie sue. quoddam concanbium fecissemus. de duobus principatibus scilicet de inferiori. et superiori monasteriis in ciuitate Ratisponensi constitutis. pro quibusdam aliis prediis. et possessionibus ad prenominatum Episcopum. et episcopatum suum pertinentibus accedens ad presenciam regie excellencie nostre in curia sollempni Erbypoli. domina Tuota Inferioris monasterii abbatissa personaliter nec non domina Gerdrudis superioris monasterii abbatissa per suum procuratorem cum aliqua honesta utriusque capituli parte. coram principibus. et baronibus. atque tota curia nostra graui querimonia proposuit. se et ecclesias suas indebite a nobis fore grauatas. et super hoc adiutorium et sententiam principum postularunt. proponentes. firmiter nullum principatum posse. uel debere. commutari. vel alienari. ab inperio. vel ad alium principem transferri. sine uoluntate. presidentis principis illius principatus et de plano consensu eiusdem Ministerialium. Super quo facta a nobis inquisitione. per sententiam principum et subsecucionem tam nobilium quam baronum. atque ministerialium. et omnium qui aderant iudicatum est nullum principatum posse uel debere nomine concambii. uel cuiuscumque alienationis ad aliam personam transferri. ab inperio. nisi de mera uoluntate. et assensu principis presidentis et Ministerialium eiusdem principatus. Nos igitur iustitie protectores nullo conamine iuri reniti volentes sententiam ipsam duximus approbandam. et quod contra memoratas ecclesias. et earum principes pro episcopo. et ecclesia Ratisponensi minus debite feceramus. omnino retractauimus in continenti. presente episcopo prephato. Et ne de cetero similia contingant. decernimus. et perpetua firmitudine obseruandum iudicamus. quod non liceat ulli successorum nostrorum Romanorum Regi. seu inperatori principatum aliquem. ut superius sententiatum est ab inperio aliquo modo alienare. Set omnes inperii principatus in suo iure. et honore illesos obseruare. vt itaque dilecta fidelis nostra Gertrudis. et successores eius abbatisse. nec non Regalis ecclesia superioris monasterii hac sententia gaudeant. In antea. et glorientur in perpetuum hoc scriptum eis Indulsimus sigillo maiestatis nostre roboratum. Huius rei

sunt testes. Albertus. Magdeburgensis Archiepiscopus. Engelbertus. Electus Coloniensis archiepiscopus. Otto. Wirzburgensis Episcopus. Otto. frisingensis episcopus. Sifridus Augustensis episcopus. Volricus pactauiensis electus. Cuno eluacensis abbas. Lodoycus dux bawarie. Comes palatinus reni. Hermannus. et Fridricus fratres. Marchiones de baden. Gerardus comes de diets. Otto dux meranie. Hermannus et Lodwicus comites (de) Wirtenberch. Comes ernesto de villeseke. Bertoldus nobilis de niffen. et filii sui. Henricus et Albertus. Gerardus comes de Rineck. Anselmus de Iustingen Marescalcus inperii. Walterus pincerna. inperii Wernerus dapifer de bolandia. Dieto de Rauensburch. Camerarius Inperii. et alii quam plures.

Signum. domini Friderici secundi Romanorum Regis et semper augusti et Regis Sicilie. *(Monogramma.)*

Ego Chuonradus Metensis. et Spirensis episcopus Inperialis aule cancellarius vice domini Sifridi Maguntini Archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii recognoui. Acta sunt hec (apud) Erbipolim. Anno ab incarnatione domini Millesimo ducentesimo Sexto decimo. Regnante Gloriosissimo domino Friderico dei gratia Secundo Romanorum Rege. et semper Augusto. et Inclito Rege Sicilie. Anno Romani regni eius quarto. Sicilie uero Octauo decimo. feliciter. Datum per manus Bertoldj de niffen Regalis Aule prothonotarii anno prenotato. Idus (Idibus) Maij. Indictionis Quarte.

a) Sigilli fracti nonnisi parvum superest fragmentum, quod dextram manum regis Sceptrum tenentis exhibet, et appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Editum in Hundii metrop. II. edit. Monac. 591. edit. Ratisb. 407. in Ried. cod. dipl. Rat. I. 314. num. 332. et Germanice in Lunig. spicileg. eccles. III. Theil von Aebtiss. 176.

d) Eiusdem tenoris privilegium eodem loco ac die annoque obtinuit monasterium inferius Ratisponae, huicce in omnibus conforme exceptis hinc inde aliquibus vocabulis, in hoc instrumento aut pro claritate sensus additis aut pro lubito aliter dispositis. Potissima autem differentia inter utrumque exemplar illa videtur, qua primus inter fratres comites de Wirtenberch in hoc instrumento vocatur Hermannus, qui in altero instrumento, inedito, et alias rectius Hartmannus appellatur.

e) Ipsum concambium inter regem Fridericum II. et episcopum Ratispon. Conradum IV. in hoc diplomate memoratum atque retractatum, paucis tantum mensibus praecessit, datum apud Egram XI. Kalend. Januar. siv. 22. Decemb. 1215. quod conferatur.

DCXXIII.

Anno 1216. 15. Jul. Constautiae.

Fridericus II. rex monasterium Reitenaslach (Reitenhaslach) in protectionem suscipit, eique specialiter possessionem salinae in Mulbach et augeae Vietenowe (Ettenowe) confirmat.

a) Sigillum in ora dextra laesum, qua laesione dimidia inscriptio, desinens, vix non omnino evanuit, de caetero bene expressum, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Editum in Mon. Boic. III. 130. num. 24. ubi ex Originali haec emendentur: pag. 131. lin. 2. Reitenaslach; lin. 16. Vietenowe; p. 132. lin. 1. Butilsoeizen; lin. 3. Ramesberg.

d) Praecesserunt confirmatio similis Philippi II. regis 1207. 3. Aug. et donatio Ludovici ducis, in hoc instrumento memorata, absque

nota anni; utraque habetur in Mon. Boic. III. 122 et 124. num. 20 et 21.

DCXXIV.

Anno 1216. 8. Septembr. apud Nurinberc.

Fridericus II. rex domui Theotonicorum in Accaron hospitale apud Ellingen tradit et confirmat, quod ex possessionibus Walteri de Ellingen et uxoris eius Kunegundis temporibus avi sui, Friderici I. imperatoris, constructum fuit, cuius etiam bona absque advocato imperator vel rex solummodo debeant defensare.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sycilie. Vniuersis Christi fidelibus ad quos presens scriptum peruenerit. Salutis nostre subsidium augeri. et animarum diuorum antecessorum nostrorum. F. aui nostri et H. patris nostri inclitorum romanorum Imperatorum. et nostre languoribus non dubitamus mederi. cum religiosarum personarum iustis et rationabilibus peticionibus aures pietatis adcommodamus et utilitatibus earum et sustentationibus curam efficacem adhibemus. Inde est. quod nos ad noticiam omnium Christi fidelium uolumus peruenire. quod nos attendentes religionem fratrum hospitalis sancte virginis marie. quod domus theotonicorum in acaron nuncupatur et seruicia eorum que ipsi deuote nobis impenderunt. et de die in diem nobis impendere non desistunt. Hospitale apud ellingin. quod ex possessionibus felicis memorie Walterius (Walteri) de ellingin et kvnegundis vxoris eius constructum. et ab eisdem auo nostro domino F. romanorum Imperatori libere traditum et obsolute (absolute) supra dictis fratribus libere contulimus et absolute. ea uidelicet condicione. ut in predicto hospitali pauperes recipiantur et elemosine eisdem erogentur. Sicut iam dictus walterus et uxor eius atque

auus noster instituerant. seruientibus supradictis fratribus omnibus possessionibus. quas dictum hospitale in ellingin. temporibus aui et patris nostri tenebat. et inposterum domino dante poterit obtinere. Item statuimus et confirmamus iam dictis fratribus ut ipsi de bonis dicti hospitalis a predicto waltero et uxore eius siue ab auo nostro libere collato eidem nulli umquam aliquam aduocatiam debeant recognoscere. uerum Imperator uel Rex qui pro tempore regnauerit. pro salute anime sue in hiis eos debeant defensare. Ne autem aliqua umquam persona spiritualis aut secularis. contra hanc donationis nostre confirmationem audeat uenire. presentem paginam ex mera conscientia nostra scriptam sigilli nostri munimine iussimus consigniri. Huius rei testes sunt. Cvnradus metensis et spirensis episcopus Imperialis aule cancellarius. H. Elwacensis abbas. Otto dux Meranie. D. marchio de voheburch. H. marchio de badin. L. comes de wirteneberc. A. de stuselingin. Walter de languinberc. A. de iustingin Imperialis aule marscalcus. W. pincerna de scipha lupoldus et herdegeno de grindelach. lupoldus lupus et Herdegen frater suus. Heinricus de salhahc. Crof. de Ehmudishein Cvnradus et Ditricus de wizinburc et alii quam plures. Datum apud Nvrinberc. Anno Incarnacionis domini M. cc. xvi. vi. Idus Septembris. Indictione iiij[a].

a) Sigillum, fere illaesum et optime expressum, appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio respondet anno indicato 1216.

c) Editum in dissertat. Germanica 1796. Br. Usurpationsgesch. etc. Beilagen 221. num. 103.

d) Nomina propria personarum non pauca suis tantum litteris initialibus annotata, suppleri possunt ex aliis instrumentis ac notitiis eiusdem temporis, in quibus integra nomina scripta habentur. In hoc instrumento tamen illa initialis H, qua nomen abbatis Elwacensis indicatur, difficultate non caret; quia tale nomen, cuius initialis sit H, hoc tempore in Catalogo abbatum Elwacensium

[illegible] Maii, [illegible]

DCXXV.

Anno [illegible] Ianuar. apud Nurembergk.

Fridericus II. rex Ulrico Pataviensi episcopo feudum vexilli, a Lodowico duce Bawariae resignatum, confert, quod deinceps dux Bawariae non ab imperio, sed ab ipso episcopo eiusque successoribus ratione feudi recipiat ac possideat.

(*Chrismon.*) In. nomine. sanctae. et. indiuiduae. trinitatis. Fridericus. Secundus. diuina. fauente. clementia. Romanorum. rex. et semper. augustus. et rex Sycilie. Uotis fidelium nostrorum. presertim que ad manifestos Ecclesiarum usus cedere uidentur. de consueta regiae serenitatis munificentia pium semper fauorem uolentes impendere. presentis Scripti certitudine ad notitiam presentis eui. atque ad memoriam futurae posteritatis uolumus uenire. quod ad instantiam et obnixas preces dilecti principis fidelis nostri. Volrici Pattauiensis episcopi. quem in obsequiis Imperii et nostris iam dudum non tantummodo inuenimus deuotum. uerum etiam in suae fidelitatis feruore credimus. immo non dubitamus constantem inantea permansurum. ad recognitionem laudabilium meritorum suorum. quoddam feudum. quod de concambio antiquitus inter Imperium et Cathedralem Ecclesiam Pattauiensem. de Regali tunc Caenobio sanctimonialium Intemeratae virginis dei genitricis MARIae. facto. tunc cessit Imperio. quod feudum vexilli. vulgo Uanlehen appellatum illustris quondam. O. dux Bawarie ab Imperio dinoscitur assecutus hocidem feodum Dilectus consanguineus et fidelis noster. Lodwicus illustris Palatinus

comes Reni. et dux bawarie. ad preces nostras. in manus regie celsitudinis uoluntarie resignauit. nosque illud in continenti prelibato .VI. pattauiensi Episcopo et suae ecclesiae liberaliter dignati fuimus conferre. et confirmare. Ipse autem Episcopus sollicite procurans ecclesiae sue utilitatem. ipsum feodum statim. titulo legalis successionis. contulit praenominato duci bawarie. ab ipso Episcopo suisque successoribus. non ab Imperio ratione feodi de cetero recipiendum et possidendum. Ut itaque hec apud posteros inconuulsa permaneant et perpeti (perpetim) firmitudine obseruentur. hoc priuilegium ob dilectionis euidentia. memorato Episcopo suaeque Ecclesiae indulsimus. Sigillo aureo maiestatis nostrae roboratum. Huius etiam testes sunt. Sifridus sanctae Moguntine sedis Archiepiscopus. Ekkebertus. babenbergensis. Sifridus. Augustensis. Hainricus Basiliensis Episcopi. Liupoldus dux Austrie et Styrie. Bernhardus dux. Karinthiac. Otto dux. Meranie. Hainricus nobilis de niffen. Anselmus de Justingen. Marescalcus Imperii. Waltherus de Sipf (Scipf). pincerna. Dieto Camerarius. Philippus de bonlandia. Hademarus de Wesint. Hainricus de Lonsdorf. Waltherus de Tannenberch. Otto de morsbach. et alii plures. Signum. Domini. nostri. Friderici. Inuictissimi. Romanorum. Regis. et. (*Monogramma*). Semper. Augusti. et. Gloriosi. Regis. Syciliae. — Ego Chuonradus. Metensis et Spirensis episcopus Imperialis aule Cancellarius vice domini Sifridi. Moguntinae sedis Archiepiscopi. totius Germanie Archicancellarii. recognoui. Acta sunt hec. Anno domini Millesimo. ducentesimo. XVII. Regnante domino FREDERICO. secundo diuina fauente clementia. Romanorum Rege et semper Augusto. et glorioso Rege Sycilie. Anno. Romani Regni ipsius. Quinto. Sicilie uero XVIII°. Datum in sollempni Curia Apud Nuoremberch. Anno pretaxato. XII. Kalend. Febr. Quintae Indictionis.

a) Bulla aurea periit, appensae olim remanentibus vestigiis, duobus foraminibus in membrana inferius complicata.

b) Indictio et annus regni Romani currentes conveniunt anno Chr. indicato 1217; annus vero regni Siciliae vel unitate decurtatus, vel iam ante septem menses completus est numeratus.

a) Editum in Hund. metrop. I. edit. Monac. 382. edit. Ratisb. 254, in Lünig Spicileg. eccl. II. Theil 781, in Hansiz Germ. Sacr. I 362. extractum etiam ab Aventino in excerptis Passav. ap. Oefele I. 713. a.

DCXXVI.

Anno 1217. 24. Januar. apud Nuremberch.

Fridericus II. rex Pataviensi episcopo et ecclesiae comitatum praediorum huius ecclesiae, per Ylsgowe loca sitorum, a duce Bawariae resignatum confert.

(Chrismon.) In nomine. sanctae. et. individuae. trinitatis. Fridericus. secundus. diuina. fauente. clementia. Romanorum. Rex. Semper. Augustus. et. Rex. Sycilie. Uotis fidelium nostrorum presertim quae ad manifestos Ecclesiarum usus cedere uidentur. de consueta regie serenitatis munificentia. pium semper fauorem uolentes impendere. presentis Scripti certitudine ad notitiam presentis eui. atque ad memoriam future posteritatis uenire uolumus. quod ad instantiam et obnixas preces dilecti principis fidelis nostri. Volrici. Pattauiensis Episcopi. quem in obsequiis Imperii et nostris iam dudum non tantummodo inuenimus deuotum. verum etiam in sue fidelitatis feruore credimus. immo non dubitamus constantem inantea permansurum. ad recognitionem laudabilium meritorum suorum. Comitatum prediorum ecclesie Pattauiensis sitorum per loca Ylsgowe nuncupata. quem Comitatum dilectus fidelis et consanguineus noster. Lodwicus. palatinus comes Reni. et Dux bawarie. ex concessione diuorum progenitorum nostrorum Romanorum Regum et Imperatorum. iure hereditario tunc temporis quiete tenuit et possedit. de plano assensu et mera uoluntate eiusdem ducis. ab ipso duce in manus eminentie nostre resignatum. Statim presente et petente eodem Duce. contulimus memorato Episcopo Ulrico. et sue Ecclesiae ab ipso suisque successoribus Pattauiensis

tauiensis Ecclesie Episcopis titulo legalis feudi perpetuo possidendum. Ad cuius rei euidentiam. robur. atque perpetuam memoriam. presens Scriptum sepedicto episcopo et Ecclesie pattauiensi inde indulsimus. aurea bulla regiae maiestatis nostrae communitum. Statuentes atque sub interminatione gratie nostre districte precipientes. ne nulla umquam persona humilis vel alta. Secularis siue Ecclesiastica. hanc nostre concessionis et confirmationis gratiam infringere. vel ei aliquo temmerario ausu presumat obuiare. Huius rei testes sunt. Sifridus sanctae Moguntinesedis Archiepiscopus. Ekkebertus. babenbergensis episcopus. Sifridus. Augustensis episcopus. Hainricus. basiliensis episcopus. Liupoldus. Dux austrie. et Styrie. Bernhardus. dux Karinthiae. Otto. dux Meraniae. Comes adolfus. de Sowenburch. (Schowenburch) Hainricus nobilis de Niffen. Anselmus de Justingen. marescalcus Imperii. Waltherus de Sipf (Scipf) pincerna et Chuonradus frater eius. Dieto. Camerarius. Philippus. de bonlandia. Hademarus. de wisint. Hainricus. de lonsdorf. Waltherus. de Tannenberch. Otto. de morsbach. et alii quam plures. Signum. Domini. Friderici. inuictissimi. Romanorum. Regis. (*Monogramma.*) et. semper. Augusti. et. Gloriosi. Regis. Sycilie. Ego Chuonradus. Metensis et Spirensis episcopus. Imperialis aulae. Cancellarius. vice. domini Sifridi. Moguntini archiepiscopi. totius Germaniae Archicancellarii Recognoui. Acta sunt autem hec. anno. domini. Millesimo. CC°. XVII°. Regnante domino Friderico. secundo diuina fauente clementia Romanorum Rege et semper Augusto. et rege Sicilie inuictissimo. anno Romani Regni eius. Quinto. Sycilie uero XVIII°. feliciter.

Datum in sollempni curia. apud Nuremberch. celebrata. anno pretaxato. VIII°. Kal. Febr. Indictione V^{ta}.

a) Bulla aurea periit, appensionis remanente vestigio duplici foramine in membrana inferius complicata.

b) Indictio et annus regni Romani currentes respondent anno Chr. expresso 1217; annus vero regni Siciliae aut caret unitate, aut numeratus est completus ante septem menses.

o) Ineditum; extractum tamen in Aventini excerptis Passav. ap. Oefele I. 713 a, ac memoratum ab Hund. in metr. I. edit. Mon. 313 edit. Ratisb. 208 et ab Hansiz in Germ. Sacr. I. 363.

DCXXVII.

Anno 1217. 31. Maii. apud Ratisponam.

Fridericus II. rex hospitale apud ecclesiam beati Johannis Ratisponae in suam protectionem recipiens, possessiones eius in praediis, nominatim expressis, confirmat.

In nomine Sancte et Indiuidue Trinititatis Amen. Fridericus Dei Gratia Romanorum Rex. Semper augustus et Rex Sicilie. Vniuersis Christi fidelibus quibus presens pagina uidenda contigerit in perpetuum. licet Regie maiestatis plurimum intersit sancte dei ecclesie. et Religioni Christiane. augendi quippe. et consaruandi (conseruandi) benignum exhibere fauorem. nos pre certis. qui per eam promoti sumus pariter et exaltati tenemur merito. in uniuersis suis partibus. religionem ipsius sollicitudine speciali promouere. Hac igitur ducti racione. Hospitale situm. Ratispone. apud ecclesiam beati iohannis. Habundans pauperibus. tenue in Redditibus. per quod dominus clementer suis fidelibus prouidit. ut uidelicet ipsi suis elemosinis sustentando. ibidem confluentes. peccata sua deleant. una cum redditibus. Hiis prediis scilicet. Hoenburg. Houlingen. Wiaer. et prediolo Reitenbuoch. et predio Kanstein. et una curia et una Huoba. et nouem areis. Alburg. et Huoba trobelingen. et una curia Sunchingen et Huoba Oprechtouen. et Huoba Helinhouen. et Huoba Leichelingen. et uinea una Wisent. vinea una et dimidia et orto. phaffenstein et curia Krappenstein. Curia seilenhouen. quatuor Huobis et quinque Areis. Luog. Curia poucekouen. Curia Holtzlitten. Area

Reinhousen domo et eius Area. item Area apud Athkitten (Achkirchen). Orto in orientali parte et orto in octidentalj (occidentalj) parte Ratispone. et cum omnibus aliis eius attinentiis. atque possessionibus iuste iam possessis et in futurum iuste possidendis. in nostram recipimus protectionem. omnia predicta. Auctoritate regia dicto Hospitalj confirmantes. illibata perpetuitate. ex nunc et deinceps. possidenda. Inhibentes usque quaque. Sub obtentu gracie nostre ne aliquis hominum. in prefatis bonis. sepedicti hospitalis deseruientibus. in aliquo penitus audeat molestare. Quod si quis attemptauerit indignacionem nostram. se nouerit incursurum. Hec itaque presenti pagine commendata. appensione sigilli nostri fecimus communirj. quatenus perhenni firmitate. uiuant inuiolata. Datum apud Ratisponam. Anno uerbi incarnati M°. c°. c°. xvii°. pridie Kal. Junij. indictione V. presentibus principibus nostris. Volrico episcopo patauiensi. Sifrido episcopo Augustensi. luodowico palatino reni et duce Bawarie. Rapodone palatino de Wilingesbach. Comite Henrico de Ortenberg. Guichardo comite de Herzberg. lantgrauiis de luckenberg. Guichardo et tipoldo. Ciuibus Ratisponensibus. Henrico de capella. Gocewino scoltheto. Ruodegero thelonario. Willelmo vorporg. Karolo thelonario. Friderico. stolz. et Aliis quam pluribus.

ego cuonradus Metensis episcopus imperialis aule cancellarius, uice domini Sifridi tocius germane (germanie). archicancellarii recognouj. (*Monogramma.*)

a) Sigillum in ora nonnihil laesum appendet ex filis sericis rubri sive potius purpurei et flavi coloris.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Ineditum, memoratum autem in Gemeiner Regensb. Stadtchronik I. 307. 308.

d) Hanc confirmationem regalem praecessit episcopalis eodem anno scilicet X. Kal. Maii seu 22. April. in Riedii. Cod. Rat. dipl. I.

320. num. 337. impressa, ubi accuratius nonnumquam locorum nomina propria leguntur.

DCXXVIII.

Anno 1217. 8. Junii. apud Augustam.

Fridericus II. rex monasterio Burron (Benedictbeurn) mansum unum apud Schorrin confirmat, quem illi ministerialis suus, Tidericus de Kufringen, vendidit et donavit.

a) Sigillum, in ora sua nonnihil laesum, sed bene expressum, appendet ex segmento membranaceo.

b) Indictio respondet anno indicato 1217.

c) Editum in Meichelbeck Chronico Benedictobur. I. 109. et in Mon. Boic. VII. 112. num. 24. inter monumenta Benedictoburana; ubi lin. 16. leg. Kufringen; lin. 24. Burron.

DCXXIX.

Anno 1217. nobis, antiquis 1218, 29. Decembr. apud Nuorenberc.

Fridericus II. rex Berhtoldo electo Brixinensi eiusque ecclesiae concedit omnes argentifodinas omnesque venas metallorum et salis, quae in eius episcopatu possunt reperiri.

Fridericus secundus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie. Regalis excellentie decet dignitatem et per hoc laudis titulum (titulo) merito sublimatur cum fidelium. et subiectorum suorum devotionem attendit et eorum servicia dignis retributionibus reconpensat. Attendentes igitur tam devota quam fidelia que nobis dilectus fidelis et princeps noster Berhtoldus Electus Brixinensis et nostris progenitoribus obsequia exhibere semper curavit et in posterum de bono in melius poterit exhibere volentes ipsius serviciis respondere pro meritis. de innata nobis liberalitatis gratia sibi suisque successoribus in ecclesia brixinensi concedimus et donamus in perpetuum omnes argentifodinas omnesque venas metallorum et salis. que in suo sunt episcopatu et de cetero possunt reperiri cum omnibus iusticiis et pertinentiis suis possidendas et tenendas. ad huius autem nostre concessionis memoriam et perpetuam firmitatem presentis pagine scriptum nostri sigilli munimine fecimus communiri. statuentes et sub interminatione gratie nostre precipientes ne aliqua nunquam (unquam) persona humilis vel alta hanc nostre concessionis gratiam aliquo modo audeat vel debeat infringere seu attemptare. Quicunque autem huius nostre concessionis et donationis statutum et paginam infringere vel aliquo tempore attemptare presumpserit noverit se maiestatis nostre offensam graviter incurrisse. Testes huius rei sunt. Fridericus Episcopus Tridentinus. Ludewicus dux bawarie. Hermannus. Marchio de baden. comes Eberhar-

dus de helfenstein. Comes Egino de Vrach. heinricus et albertus fratres de Niffen. albero et berhtoldus fratres de Wange. anshalmus de Justingin imperialis aule marschalcus. Eberhardus dapifer de Tanne. Dieto Camerarius de Rauensberc. Jacko de Triwesheim. Actum est hoc anno dominice incarnationis. Mill. CC. XVIII. Datum apud Nuorenberc. IIII. Kal. Januarii. Indictione VI.

a) Sigillum fractum appendere testatur copia reservata; nam Originale redditum est.

b) Indictio ordinaria convenit cum anno Chr. notato, quem constat antiquis iam 25. Decemb. praeteriti anni 1217. incepisse, quo tempore Fridericus II. Norimbergae fuit et Bertholdus epis. Brix. successit Chunrado ep. eodem. a. 1217. defuncto.

c) Editum in Hund. metrop. I. edit. Monach. 476. edit. Ratisb. 320. et in Lünig spicil. eccl. II. Theil. sive operis Tom. XVII. 149. num. 9.

DCXXX.

Circ. finem anni 1217. nostri, antiquis 1218. in coenobio Kaisheim.

Fridericus II. rex procuratori suo in Werde interdicit, ne porro de domibus coenobii Keisheim, sitis in Werde, tributum seu alias exactiones, quas illi rex remisit, efflagitet.

F. dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. Rex siciliae fideli procuratorj suo in werde. gratiam suam et omne bonum. Quia ad honorem dei et sanctae genitricis suae. C. venerabili abbati et conuentui in keisheim. tributum quod a domibus suis sitis in werde. hactenus exigebatur. regia clementia remisimus. idcirco fidelitati tuae sub obtentu gratiae nostrae districte precipi-

mus. quatenus prenominatum tributum. seu alias exactiones. quae de consuetudine civilis ivris exigi solent. de cetero nullatenus exigas. ne regiae maiestatis offensam incurras. Acta sunt hec. anno. dominice incarnationis M°. cc°. xviii. Indictione V^a^. apud capellam sancti Johannis ewangeliste et sancti Nyckolai confessoris. in cenobio Kaisheim.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansit tamen pars quaedam filorum sericorum caerulei coloris disruptorum, membranae innexa.

b) In numero anni V., qui additis tribus unitatibus conficit annum octavum, apparet macula cum correctura, coaeva tamen. Indictio autem V^a^. distinctissime scripta, respondens anno Chr. 1217, aut, si caesarea sit, an. 1216 inde a mense Octobri, dubiam reddit chronologiam. Nihilominus potius in indictione, quam in anno Chr. latere errorem credimus, et hoc instrumentum ad finem anni 1217 vel initium anni 1218 collocamus.

c) Ineditum.

DCXXXI.

1218. 22. Julii. apud Wimpinam.

Fridericus II. rex promulgat sententiam principum et magnatum imperii, latam super iurisdictione fori annualis septimanalis, in aliquo loco per chirothecam suam concessi.

a) Sigilli appensi, quod periit, remansit vestigium, foramen in membrana inferiori complicata.

b) Annus Chr. non expressus cognoscitur ex indictione.

c) Editum in Mon. Boic. XI. 185. n. 53. inter monnmenta Niederaltachensia ex Cod. saec. med. XIII.

d) Authographum ex archivo Passav. desumtum est.

DCXXXII.

Anno 1218. 1. August. Wimpinae.

Fridericus II. rex ratam habet donationem de abbatia Pataviae (Nidernburg) et commutationem ab Heinrico VI. patre suo desuper factam, non expresso praedio Merdingen in concambium recepto.

Fridericus. Secundus. Diuina. fauente. Clementia. Romanorum Rex et semper Augustus et Rex Sycilie. Ea quae a largitione siue commutatione diuorum progenitorum nostrorum Inclitorum Romanorum Regum et Imperatorum scilicet serenissimi genitoris nostri illustrissimi Imperatoris Hainrici. et confirmatione patrui nostri Regis Philippi. ad commoda ecclesiarum siue principum Imperii deuenisse dinoscuntur. subsequenter debitam a nostra munificentia. merentur percipere firmitudinem. Hinc est quod nos certitudine huius scripti ad notitiam praesentium et memoriam futurorum uolumus peruenire. quod nos exempla (exemplo) progenitorum nostrorum beneuolentiam nostram in ecclesias et principes Imperii largiter effundere intendentes. ob dilectionis habundantiam quam gerimus circa dilectam nobis Patauiensem ecclesiam et familiarem principem nostrum eiusdem ecclesie episcopum vlricum nobis et Imperio per omnia deuotum. commutationem atque donationem in Kathedralem Patauiensem ecclesiam et in singulos eiusdem ecclesie Katholicos episcopos. de quandoque Regali abbatia ecclesia scilicet gloriose virginis dei genitricis marie in ciuitate

ciuitate Patauiensi sita. factam. per illustres manus pie recordationis. H. patris nostri. ratam habemus. et sigilli nostri appensione confirmamus. Huic confirmationi interfuerunt testes. Theodericus Treuerorum archiepiscopus. Theobaldus Dux Lotharingie. Rudolfus Comes palatinus de Tuwingen. Comes Sibertus et Hainricus filius suus de Werda. Hermannus. marchio de Baden. Anselmus de Justingen. marscalcus Imperii. Hartmannus et Lodwicus fratres. comites de Wirtemberch. Hademarus de Chunringen. Chadoldus dapifer ducis Austrie et Styrie. et alii quam plures. Ego Chuonradus. Metensis et Spirensis Episcopus. Imperialis aule cancellarius. recognoui. et Subscripsi. Actum Wimpine. Anno domini. Millesimo. CC. XVIII. Indictione VI. Kalendis Augusti.

a) Sigilli fracti pars dimidia superior appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Ineditum, saltem in hac forma. Nam aliud instrumentum, huic superadditum, et ab eo in aliquibus locis, non tamen quaod substantiam, differens olim bulla aurea munitum, saepius editum est.

DCXXXIII.

Anno 1218. 1. August. Wimpinae.

Fridericus II. rex distinctius ratam habet donationem de abbatia Pataviae (Nidernburg) et commutationem ab Heinrico VI. patre suo desuper factam, recepto praedio Merdingen.

(*Chrismon.*) In. nomine. sancte. et. indiuidue. trinitatis. Fredericus. diuina. fauente. clementia. Romanorum. Rex. secundus. sem-

per. Augustus. et. Rex. Sicilie. Ea que a largitione siue commutatione. diuorum progenitorum nostrorum inclitorum Romanorum regum et Imperatorum ad commoda ecclesiarum siue principum Imperii. deuenisse noscuntur. subsequenter confirmationem debitam a munificentia nostra recipere promerentur. Quo circa huius certitudine scripti. ad noticiam presentium et memoriam futurorum uolumus peruenire. quod nos exemplo progenitorum nostrorum beneuolentiam nostram. in ecclesias et principes Imperii effundere cupientes. ob dilectionis habundantiam. quam gerimus circa dilectam nobis Patauiensem ecclesiam. et familiarem principem nostrum eiusdem ecclesie episcopum Vlricum. nobis et Imperio deuotum. confirmamus omnimodis. et ratam habemus. donationem et confirmationem. de abbatia Monasterii sancte Marie uirginis. in Patauiensi ciuitate siti. et de uniuersis eius pertinentiis. factam ipsi Patauiensi ecclesie Kathedrali. per manus illustres predecessorum nostrorum. diuorum Imperatorum scilicet. Ottonis primi. Ottonis secundi. Ottonis tercii. Frederici aui nostri. atque patris nostri Heinrici. qui et ab ipsa Patauiensi Kathedrali ecclesia. pro abbatia predicta recepit in concambio. predium situm in Maerdingen cum suis appendiciis. ut uidelicet talis ratione concambii. eadem donatio inconuulsa permaneat et in perpetuum tenatiori memorie commendetur. In cuius etiam regie confirmationis nostre. testimonium. presentem paginam nostri impressione sigilli signatam. sepedicte Patauiensi ecclesie. curauimus exhibere. Huius rei testes sunt. Theodericus Treuerorum Archiepiscopus. Theobaldus dux Lothoringie. Rvdolfus comes palatinus de Tuwingen. Comes Sibertus et Heinricus filius suus de Werda. Hermannus Marchio de Baden. Anshelmus marscalcus de Justingen. Hartmannus et Lodewicus fratres. Comites de Wirtenberch. Hadmarus de Chuneringen. Kadoldus de Veldesperch dapifer ducis Austrie. et alii quam plures.

Signum domini Frederici Secundi Romanorum Regis semper Augusti et (*Monogramma*) Regis Sicilie. Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus. Imperialis aule Cancellarius. vice domini Sifridi Moguntine sedis archiepiscopi. tocius Germanie Ar-

chicancellarii. recognoui. Acta sunt hec Anno dominice Incarnationis. Millesimo. Ducentesimo. XVIII. Regnante domino nostro Frederico. secundo Romanorum Rege. semper Augusto. et Glorioso Rege Sicilie. Datum Wimpine. anno pretaxato. Kalendis Augusti. Indictione VI. Feliciter.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; bullam auream ex funiculo serico rubri coloris appendisse testatur copia manu noviori circ. an. 1750. facta.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Editum saepius: in Hund. metr. I. edit. Monac. 383. edit. Ratisb. 255; in Crusii annal. Suev. III. part. lib. I. p. 7.; in Tolner addit. ad histor. palat. 101.; in Lünig spicileg. eccles. II. Theil 782., in Hansiz Germ. Sacr. I. 363.

d) Extat alterum quoque instrumentum super eadem re, datum eodem anno ac die, discrepans tamen in aliquibus locis, carensque monogrammate, munitum autem sigillo cereo, quod appendet.

DCXXXIV.

Anno 1218 potius, quam 1219. 10. Septembr. apud Ulmam.

Fridericus II. rex monasterium Faucense sub speciali sua et imperii protectione recipiens, confirmat et restituit illi provinciam Aschowe et quinque curtes nominatas, salvo sibi omni servitio, quod progenitoribus suis erat exhibendum.

Fridericus. Secundus. Dei. Gratia. Romanorum. Rex. et. semper. Augustus. et. Rex. Syciliae.

Deo Creatori gratum praestare non ambigimus obsequium si

ecclesias et loca divino cultui mancipata ampliare studuerimus et circa ipsorum Commodum et profectum operam impenderimus. diligentem quapropter Universis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus declarandum quod ad Supplicationem Dilecti fidelis nostri. Chonradi Venerabilis Abbatis Faucensis. attendentes quoque honestam Conversationem fratrum in eodem Monasterio Deo famulantium recepimus ipsum Monasterium cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus et mancipiis utriusque Sexus sub speciali Nostra et Imperii protectione Confirmantes et restituentes pro remedio anime nostre et salute nostra una cum dilecto Filio nostro Henrico. inclito Duce Swevorum memorato Faucensi Monasterio Abbati quoque et fratribus ipsius in perpetuum possidendam et tenendam provinciam Aschowe cum omni honore suo et cum universis utilitatibus ad eandem Provinciam pertinentibus a Curia Muosowe usque Hornbach terminos suos habentem ita quod nullus in ipsa provincia quicquam sibi Juris vendicet vel obsequii nisi prefati Loci Abbas Salvo Servitio quod Nos et Heredes nostri ibidem habere debemus sicut Dux. Welfo. Kunradus Dux Swevorum et Rex Philippus Patruwi (patrui) nostri inclite recordationis habere consweverunt. Insuper ex certa scientia restituimus eidem Abbati Faucensi et Monasterio suo Curtem in Gisinriet cum appendiciis suis. Curtem Aitranc cum suis appendiciis. Curtem Sahsenriet cum suis appendiciis. Curtem. Hohinfurhc cum suis appendiciis. Curtem Richelingin cum suis appendiciis. salvo quoque omni Servicio quod ipsis Curtibus Nobis sicut Progenitoribus nostris erit exhibendum. Statuimus igitur et Regio edicto districte precipimus. ut nulla omnino persona cujuscunque fuerit condicionis sepefatum Monasterium in antedictis Curtibus seu in aliis prediis ipsius magnis vel parvis molestare presumat aut dampnum ei irrogare. quod qui fecerit iram tremendi Judicis et Nostre Maiestatis gravem offensam se noverit incursurum. Datum apud Ulmam. Anno dominicae Incarnationis M°. CC°. XVIIII°. IIII. Idus Septembris Indictione VI.

a) Sigillum, in ora ac inscriptione sua nonnihil laesum, de caetero optime expressum et novissimo tempore capsulae ligneae inclusum, appendet ex filis sericis rubri coloris, quorum tamen pars maxima modo disrupta est.

b) Indictio notata die adhuc 10. Septembr. nonnisi in annum 1218 quadrat, atque ex fide diplomatum Fridericus II. anno 1219, saltem à 6 usque in 18. Septembr., Hagenoviae fuit, qui circa 10. Sept. ac certe 16. Sept. 1218. Ulmae substitit; cnfr. Raumer II. 567 et 568. et III. 324. Ex quo patet, annum indicatum oscitantia scriptoris abundare unitate, aut potius notatum esse ex calculo Pisano, qui inchoatus a 25. Mart. novem mensibus praecessit communem computandi modum.

c) Ineditum.

d) Desumtum ex Archivo Episcopali Augustano.

DCXXXV.

Anno 1218 potius quam 1219 18. Septemb. apud Ulmam.

Fridericus II. rex advocatiae Campidonensis monasterii renunciat, pro annuo censu L. marcarum argenti; cassat autem monetam Campidonensem, quam monasterio compensabit, relaxando de dicto tributo, secundum quod nominati duo arbitri relaxandum duxerint.

Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus. et Rex Sicilie. Laudabile satis in principe genus humanitatis habetur, sed tunc laudabilius industria Regnantis exercere genus pietatis agnoscitur. cum ecclesiis dei. et locis venerabilibus bona temporalia largiendo caduca pro eternis pro celestibus eterna prouida liberalitate mercantur. Hac igitur ducti Consideratione

laudabili, diligencius attendentes fidem, et deuocionem tuam. H. Venerabilis Abbas Campidonensis fidelis noster necnon religionem et honestatem sacri Cenobii Campidonensis, et fratrum ibidem deo seruiencium pro Animabus diuorum Augustorum parentum nostrorum recolende memorie. et salute nostra, necnon et de nostre munificentia maiestatis. damus. Concedimus. et In perpetuum confirmamus tibi henrice venerabili Abbati, successoribus tuis et monasterio supradicto Aduocaciam Campidonensis Monasterii. quam predecessores nostri, et nos hucusque tenuimus. et una cum Karissimo filio nostro henrico illustri Sueuorum duce ipsi Aduocacie Abrenunciamus omnino. Concedentes uobis decetero et Monasterio sepedicto liberam potestatem de Aduocacia ipsa quicquid uolueritis ad honorem et utilitatem monasterii faciendi. ita tamen, quod tam tu quam successores tui, et monasterium ipsum, unoquoque Anno in festo beati Andree quinquaginta marcas purissimi et examinati argenti Camere nostre dabitis, omni difficultate remota. tenemini etiam tam tu. H. venerabilis Abbas Campidonensis, quam successores tui, et monasterium ipsum nobis. quod nullam monetam decetero in monasterio ipso, uel iurisdictione sua facietis. uel cudi permiseritis. moneta ista que modo est, et consueuit esse cassata penitus, et deleta Nos autem pro recompensatione utilitatis, et comodi (commodi), quod habere de moneta ipsa idem monasterium consueuit, prouidebimus tibi Abbati successoribus tuis et monasterio ipsi de predictis quinquaginta marcis, que annuatim Camere nostre debentur. relaxando uobis uel tribuendo de ipsis, secundum quod. C. venerabilis Metensis et Spirensis Episcopus Imperialis aule Cancellarius, et Euerardus dapifer, de tanne prouidendum duxerint et Arbitrandum. Statuimus igitur, et presentis priuilegii Auctoritate mandamus. ut nullus sit qui predictum Abbatem, uel successores suos. Aud (aut) monasterium ipsum contra hanc concessionem nostram impedire, uel molestare presumat. Quod si aliquis ausu temerario presumserit, Centum libras Auri componat quarum medietas Camere nostre, Altera uero passis iniuriam persoluatur. Ad huius autem rei memoriam. et perpetuum firmamentum presentem paginam inde scribi, et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri.

Huius rei testes sunt. tidericus Archiepiscopus treuerensis. Vlricus episcopus pactauiensis. Conradus episcopus Constanciensis. Vlricus Abbas sancti Galli. Heinricus Abbas Augensis. teobaldus dux Lothoringie. Hermannus Marchio de baden. Rudulfus palatinus Comes de tuyngen. Hugo Comes de monte forti. Anselmus marescalcus de justingen. Henricus de niffen. Henricus de rotenberch. Bertoldus de truhcburc Hermannus de Sulzberc. Henricus, et Vlricus filii eiusdem. Henricus de rans. Hermannus de Sulzberc. Bertoldus de rans. Henricus et Bertoldus fratres de richolfisriet, et alii quam plures.

Signum domini Frederici secundi dei gratia illustrissimi Romanorum et Sicilie Regis semper Augusti. *(Monogramma.)*

Ego Conradus dei gratia Metensis, et Spirensis Episcopus Imperialis aule Cancellarius. Vice domini Sifridi maguntine sedis Archiepiscopi, et tocius Germanie Archicancellarii recognoui.

Datum apud Vlmam Anno dominice Incarnationis. Millesimo. ducentesimo nonodecimo. quartodecimo Kalendas Octubris, (Octobris) Indictione Septima.

a) Sigillum deest, nec aliquod certum illius nunc superest indicium. Pars enim media inferioris orae membranae, cui pro more appensum vel appendendum erat sigillum, tanto hiatu conspicitur dilacerata, ut tota etiam vicinia illius loci simul sit destructa. Nichilominus ipsa hiatus istius ratio mox descripta, complicatae etiam inferius, quamvis partim resecatae, vestigia verisimile saltem praebent argumentum, olim maius quoddam sigillum huic instrumento adhaesisse, sed periisse aut vi avulsum esse. Insolita quoque, quo pertinent:

1) extraordinaria plane primae initialis, f, litterae forma;

2) minutissima hinc inde commata, punctis intermixta;

3) membrana passim lacerata, perforata in ora superiori aeque

ac inferiori truncata, suspectum quodammodo reddere possent hoc instrumentum. Verumtamen, cum reipsa concordet cum concessione Heinrici VII. regis, data apud Wimpinam 1224. tertio Non. April. sive 3. Aprilis, cuius certissimum habetur originale; excepto, quod hic omissa sit de moneta Friderici II. constitutio; et cum Registrum archivi Campidonensis anni 1697. f. 64. b. originalibus idipsum annumeret; hinc etiam nos inter authographa illud exhibemus.

b) Indictio pariter ac annus notatus fallere deprehenduntur ex eo, quia hac die scilicet 18. Septembris illo anno 1219 Fridericus II. non Ulmae, sed in urbe Hagenau substitit. Qui cum circa eundem diem ac mensem anni praeteriti 1218 Ulmae fuerit; ad hunc potius annum istud instrumentum pertinebit. cnfr. Raumer Hohenstaufen II. 567 et 568. atque dicta ad diploma Friderici II. 10. Septembr. eod. an. Ulmae monasterio Faucens. datum.

c) Ineditum.

DCXXXVI.

Anno 1218. 22. Octobr. apud Nuremberch.

Fridericus II. rex super contractu donationis, quo Chunradus comes de Wazzerburch castrum Vihtensteine cum eius pertinentiis Ulrico Pataviensi eiusque ecclesiae pro mille marcis, titulo pignoris et sub aliis conditionibus speciatim expressis, donat, duplex instrumentum conscribi procurat.

In. nomine. sancte. et indiuidue. trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Rex. semper Augustus et Rex Sicilie Salutiferum in domino nobis esse credentes. si manum regie maiestatis nostre ad confirmationem illorum extendimus. que promotionem

motionem ecclesiarum euidentius operari noscuntur. uniuersorum memorie presentem paginam intuentium commendamus. quod Chunradus nobilis comes de wazzerburch. sancte crucis signo signatus. castrum suum Vihtensteine. proprietatj sue adtinens. cum omnibus pertinentiis. ministerialibus uidelicet. et aliis hominibus. uillis. agris. pascuis. nemoribus. terris cultis et incultis. atque aliis rebus omnibus ad idem castrum pertinentibus. pro anime sue salute. Patauiensi ecclesie talj lege donauit. ut si ipse sine herede decesserit. idem castrum cum predictis suis pertinentiis ipsi cedat ecclesie possidendum perpetualiter cum omnj eo iure. quo ipse comes illud dinoscitur possedisse.. Preterea uenerabilis ipsius Patauiensis ecclesie episcopus Vlricus noster princeps familiaris et dilectus. idem castrum cum prefatis suis pertinentiis. in possessionem ac ditionem suam pleno iure ab eodem comite titulo pignoris iam recepit. ipsi comitj mille marcas mutuans. cum quibus expleat uotum crucis. Et utique ipsi comitj a crucis expeditione reuerso. non licet idem castrum redimere. nisi simpliciter de propriis suis rebus. Sed et si fuerit sic redemptum non debet alienorum sed suj solius usibus subseruire. ne per occupationem seu uiolentiam alienorum. ecclesia memorata donatione possit hujusmodj defraudari. Nec pretermittendum duximus. quod ipsi comitj cum peregrinationis uotum compleuerit. idem episcopus debet in feodo concedere. reddituum annualium ad xxx. talenta. quorum ipse comes. xx. ad manus annuatim percipiat. reliqua decem sint infeodata. cuius etiam feodj situs ipsi ante quam iter peregrinationis incipiat. ab episcopo ostendetur. Insuper feodum condecens et honestum quantocjus uacauerit. ipse episcopus comitj conferet sepedicto. Ne autem hujus donationis tractatum ulla possit calumpnia in posterum perturbare. duplicj pagine nostro sigillo signate. ipsum cum testium nominibus qui ej interfuerunt. annotari fecimus quarum alteram episcopo. alteram uero comitj. curauimus firmioris cautele gratia exhibere. Hij sunt testes Theodericus Treuerensis archiepiscopus. Eberhardus Salzburgensis Archiepiscopus. Chunradus Metensis et Spirensis episcopus. Imperialis aule cancellarius. Otto Erbipolensis episcopus. Otto frisingensis episcopus. Lvdewicus Palatinus Rehni et dux

Bawarie. Theobaldus dux Lothoringie. Rapoto Palatinus Bawarie. Heinricus comes de Ortenberch. Burchardus comes de Mannesvelde. Hermannus comes de hartesburch. et alij quam plures. Datum apud Nvrenberch. xi. Kalen. Nouembris. Anno dominj M°. cc. xviii°. Indictione vii^a.

a) Adest utrumque exemplar originale, in ipso instrumento memoratum, studio autem uni eidemque membranae inscriptum; dimidiatis nimirum litteris oblongioribus, quibus scripta est invocatio divini nominis, ita, ut earum media pars inferior in uno exemplari primum locum occupet, cum pars illarum superior, inversa tamen, in altero exemplari titulum regis excipiat. Utrique exemplari appensum erat sigillum ex filis sericis rubri et albi coloris; appendet autem etiam nunc in altero exemplari hic non exhibito, bene expressum, etsi in ora inferiori laesum; in primo namque massa tantum cerae concava dependet, cuius imago periit.

b) Indictio dicta caesarea, respondet anno indicato 1218.

c) Ineditum, extractum tamen apud Oefele II. 713. b. inter Aventini excerpta Pataviensia.

DCXXXVII.

Anno 1218. 30. Octob. apud Nuorinberc.

Fridericus II. rex Inferiori monasterio Ratisponae decem libras pecuniae, ad cameram regiam annuatim hucusque solvendas, remittit.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie. Decet imperatoriam maiestatem ecclesiarum dei et locorum uenerabilium utilitatibus prouidere. et illius intuitu per quem reges regnant et principes dominantur eisdem munificentie

sue dexteram inpertiri. Inde est igitur quod notum esse uolumus tam presentibus quam futuris. quod nos pro salute nostra et pro remedio animarum diuorum Augustorum proienitorum (progenitorum) nostrorum remisimus et presentis scripti auctoritate condonauimus Abbatisse inferioris Monasterii Ratisponensis et eius successoribus in perpetuum. decem libras pecunie ratispone. quas libras dictum Monasterium Imperatoribus et Regibus romanis. ac nobis et camere nostre hucusque persoluit, et annuatim soluere tenebatur. volentes quod dicta Abbatissa et ei succedentes hanc nostram condonationem et remissionem de predictis decem libris semper habeant et pro firmo teneant, et nulli nostrorum successorum de eis respondere aut intendere teneantur. immo libere inde semper maneant et quiete. Statuimus igitur et presentis scripti auctoritate sancimus. ut quecunque persona alta uel humilis ecclesiastica uel secularis contra hanc remissionem et condonationem nostram ire presumpserit. in sue presumptionis uendictam iram omnipotentis dei et nostre regie maiestatis offensam se nouerit incurrisse. Ad cuius rei memoriam presens scriptum inde fieri fecimus et sigillo nostre maiestatis iussimus robborari. Huius rei testes sunt Th. treuerensis Archiepiscopus. O. Wirciburgensis. Episcopus. Lodowicus dux bauarie palatinus Comes Reni. Th. dux Lotharingie. Comes Burcardus de mannisfelt. Hermannus et Heinricus Comites de Hartisburc. Euerardus et vlricus Comites de Helfeistein (Helfenstein). Anselmus marescalcus de iustingen. H. de niffen. Ri°cs Camerarius et quam plures alii.

Ego Conradus Metensis et Spirensis Episcopus. Imperialis Aule Cancellarius. vice domini Sifridi Maguntini Archiepiscopi et tocius Germanie Archicancellarii recognoui. Datum apud Nuorinberc. Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo Octauo decimo. tercio Kalendas Nouembris. Indictione Septima.

a) Sigillum, in ora ac inscriptione sua nonnihil laesum, appensumque ex duplici faciola ex filis sericis flavi ac fusci coloris contexta, nunc disruptis plerisque filis parti cuidam filorum flavi coloris adhaeret.

b) Indictio, quae caesarea dicitur, respondet anno indicato 1218.

c) Ineditum.

DCXXXVIII.

Anno 1218. ad finem mensis Octob. aut Decembr. apud Nurimberg.

Fridericus II. rex iudici suo in Egrensi provincia significat gratiam, monasterio de Waltsas (Waltsassen) a se concessam, ut ipse iudex, non exspectato provinciali iudicio, praedictae ecclesiae iudicium et iustitiam de ablatis faciat.

F. (Fridericus) dei gratia romanorum rex semper augustus et rex sycilie. fidelibus suis. ivdici et ministerialibus presentibus et futuris in egerensi prouincia constitutis. gratiam suam et omne bonum. vniversitati uestre significamus. abbati et conuentvi de waltsas pro remedio anime nostre illam nos gratiam indulsisse. uidedelicet quocienscumque eos ab aliquo spoliari contigerit. sive alta sit persona illa uel humilis non exspectato provinciali ivdicio statim ivdex prouincie nostra plenaria usus potestate. predicte ecclesie ivdicium et ivsticiam cogat fieri de ablatis. Quod siquis facere neglexerit uel contempserit post xiiii. dierum datas inducias. sciat se gratie nostre privatione dampnatum. talemque proscriptione publica a ivdice provincie puniri atque denvnciari precipimus. et modis omnibus ad restituenda cogi ablata. nobis nichilominus debite satisfacturus. Hac autem forma ivdicij super ablatis. predictos fratres perpetua donatione mvnimus factumque presentis sigilli nostri impressione confirmamus. Datum apud nvrimberg. Anno dominice incarnationis M°. cc°. xviii°.

a) Sigillum, quod appendebat, periit cum ipso segmento membra-

naceo, cui in membrana inferius, olim saltem, complicata inserendo praeparata restat incisio.

b) Indictio non est expressa, similiter desunt dies ac mensis. Ex loco tamen Nurimberg desumitur, ad finem alterius mensium Octobris aut Decembris hoc instrumentum pertinere, quibus hoc anno rex illic morabatur.

c) Ineditum.

DCXXXIX.

Anno 1218. mense Decembr. apud Nuorenberc.

Fridericus II. rex Coenobio Steingadensi ecclesiam in Schardis donat.

a) Sigillum, in ora sua et in sua inscriptione nonnihil laesum, appendet ex duplici funiculo ex filis sericis rubri et albi coloris contexto.

b) Indictio respondet anno indicato 1218.

c) Editum in Mon. Boic. VI. 508. num. 22.

d) Originali adiacent duae copiae antiquitus vidimatae inter annos 1251 — 1260; prima ab Heinrico (IV.) episcopo Curiensi, altera a Chunrado (I.) praeposito de Raitenbuch, et Cunrado milite de Swanegowe, deperditis tamen eorum, quae appendebant, sigillis. Notandum autem, in utraque copia nomen Comitis de Dilingen rectius Hartmannus, legi, quod in Originali minus accurate Harmannus scriptum est.

DCXL.

Anno 1219. 28. Maii. apud Erbipolim (Herbipolim).

Fridericus II. rex monasterium Castellense in suam et imperii specialem defensionem recipiens, eiusque possessiones confirmans, concedit ei liberam electionem advocati, quem illi secundum privilegium Innocentii Papae II. rex ipsiusque successores ad petitionem abbatis et fratrum eius constituent.

a) Sigillum fere integrum ac bene expressum appendet ex filis sericis rubri et albi coloris. Adest etiam copia perantiqua, vix non coaeva ac vidimata, tacito quidem recognoscentis nomine, residuis tamen sigilli eius, ope segmenti membranacei appensi vestigiis.

b) Notae chronologicae inter se concordant.

c) Editum in Mon. Boic. XXIV. 325. num. 10.

DCXLI.

Anno 1219. 1. Junii. apud Nurinberc.

Fridericus II. rex consensu et ad preces Mahthildis abbatissae superioris monasterii in Ratispona, quae per sententiam principum aduocatias de Tegirnheim et aliorum locorum nominatorum, ab Ulrico de Bentlingin liberas evicerat, easdem aduocatias Ludewico duci Bawariae, palatino comiti Reni, committit.

Fridericus. secundus dei gratia Romanorum rex semper augustus et rex Sicilie. Notum facimus vniuersis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. quod cum dilecta nostra Mahthildis abbatissa superioris monasterii in Ratispona. coram nobis per sententiam principum aduocatias de Tegirnheim. Buolinhouin. Otmaringin et Nanticingin cum aliis aduocatiis quas Vlricus de Bentlingin et quidam alii iniuste sibi uendicauerant liberas et absolutas ei esse euicisset. nos easdem aduocatias de consensu et ad preces prememorate abbatisse concessimus et commisimus dilecto et consanguineo nostro. L. illustri duci Bawarie palatino comiti Reni tenendas et protegendas secundum iusticiam et tenorem priuilegiorum ipsius ecclesie. et quod de ipsis aduocatiis infeudando obligando seu alio aliquo modo nil umquam licitum sibi sit distrahere uel alienare. Ad cuius Rei euidentiam presentem paginam conscriptam sigillo nostro iussimus communiri. Testes hii sunt. Chunradus Metensis et Spirensis Episcopus imperialis aule Cancellarius. Vlricus Pataujensis Episcopus. Bernhardus dux Carinthie. Hermannus Machio (marchio) de Badin. Ebirhardus de Ebirstein. Comes Kalhous de Kircperc. Henricus de Lapide. Gotefridus de Arnisperc. et alii quam plures.

Datum apud Nuorinberc. Kalendis Junii. Indictione septima.

a) Sigillum fractum est in plures partes. Fragmentis aliquibus deperditis, restant quatuor fragmenta, filis sericis purpurei coloris et membranae adhaerentia, quae sibi iuncta aliquas litteras inscriptionis incipientis, nec non pectus cum sinistra manu ac dextro pede regis exhibent.

b) Annum non expressum indigitat Indictio.

c) Editum in Zirngibl Reihe der Aebtissinen v. Oberm. 29. et in Ried Cod. dipl. Rat. I. 321. num. 338. qui ad finem numeri eiusdem notat, se vidisse sigillum totum adhuc, sed nonnichil laesum.

DCXLII.

Anno 1219. 14. Septemb. apud Hagenowe.

Fridericus II. rex villae Anvilrre iura ac privilegia civitatis Spirensis indulget, terminos civitatis assignat, atque in favorem castri sui illi imminentis Triuels propriam monetam, nec non proprium habere parochum concedit.

Fridericus secundus Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie. Sicut Regum et principum est sibi subjectos gubernare et Regere. ita quoque ipsis ob excellentiam a rege Regum et domino dominantium sibi concessam incumbit eosdem pietatis affectu fovere. et manu protectionis a pravorum hominum incursu et violentia defendere et tueri. Hac igitur consideratione habita uniuersis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus innotescendum. quod ad imitationem proavi nostri Friderici quondam incliti Suevorum Ducis et aliorum progenitorum nostrorum Villam nostram Anvilrre pro Villa morsbrunnen concambio commutatam et homines in ea nunc et imposterum perpetuo habitantes sub speciali gracia et protectione recipimus

cipimus et ob divine Magestatis reverentiam castrique imminentis singularem dilectionis prerogativam plene sinceritatis affectu intendimus confovere. Unde jam dicte villae nostre cum habitatoribus suis libertatem perpetuam indulgemus. et jus legemque ciuilem ad instar legum. ciuilium spirensis ciuitatis quemadmodum ipsi data eis optione desiderarunt. statuimus hoc et superaddentes ut nullus umquam in ea uilla habitantium ius capitale dare cogatur. sed nec illud jus quod uulgo dicitur Buteil. nec Teloneum quod uulgo dicitur zoll infra terminos regni quisquam ex illis dare tenebitur. Hoc etiam addimus ut siquis consortium ciuilitatis ibidem adeptus fuerit. statim post id factum nulli aduocato subjacebit. et qui annum ibi adepta ciuilitate exegerit si seruitutis conditione cuiquam subjectus fuerit nec ille eum ipso anno repetierit postmodum facultatem repetendi ipsum non habebit. Siquis etiam ad hanc uillam fugantibus eum inimicis confugerit. pacis tranquillitate securus gaudebit. Terminos quoque ciuitatis assignamus. a plaga orientali terminum usque Sibeldingen. A plaga occidentali drussufele. Ab austro Menechinwillare. A septentrione usque winkinuels. Siquis terminos uim inferendo cuiquam temeraverit. dignam satisfactionem ciuibus et causidico huius uille exhibebit. Hec legum statuta sepe dicte uille indulgemus. et ipsius ecclesie decimationem totius predii nostri prefate ville censum persoluentem. ad honorem omnium sanctorum specialiter autem ob reuerentiam sancte Fortunate uirginis et martyris attribuimus. ut prouisor immo ipse pastor ecclesie usufructuario inde Deo ac sanctis ibidem in propria persona non uicarius deseruiat. et nostri memoriam et omnium parentum nostrorum et heredum dignis missarum celebrationibus iugiter habeat. et ut ciues predicti anniuersarium obitus nostri diem solempni recolant frequentatione. Indulsimus etiam eis propriam facere monetam et habere. ut quod ex ea provenerit. super castrum nostrum trifels seruiat. Si quis etiam ciuium uxorem de alia aduocatia duxerit. aduocatus ducte ductam marito liberam et sine querimonia dimittet. Ad huius autem facti nostri certitudinem hanc paginam inde conscriptam sigillo nostro iussimus insigniri. Testes huius rei sunt. Chunradus metensis et spirensis Episco-

pus Imperialis aule cancellarius. Henricus basiliensis Episcopus. Hugo abbas morbacensis. Comes Sibertus de werda. Comes Hartmannus de wirtinberch. Anshalmus marscalcus de iustingen. Ebirhardus dapifer de walburc. Chunradus de wintirstetin. et alii quam plures. Acta sunt hec anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo decimo nono. XVIII. Kal. Octobris. Indictione. VIII. Datum apud Hagnowe. Kal. et Indictione prescriptis.

a) Sigillum appendet illaesum.

b) Indictio, quae caesarea dicitur, hic decem diebus anticipata, respondet anno Chr. expresso.

c) Editum in Joannis Spicilegio 453. n. 6. et paulo antea in deductione: Ausführlicher Bericht über die Steuer der Stadt Annweiler. Zweibrücken 1723.

d) Authographum in archivo civitatis Annweiler asservatur.

DCXLIII.

Anno 1219. 8. Novembr. apud Nuorembarch.

Fridericus II. rex carissimae suae civitati Nuremberch antiqua iura, a divis praedecessoribus ac progenitoribus suis illi tradita, renovat, speciatim exprimit et confirmat.

In nomine. Sancte. et. indiuidue. Trinitatis. Fridericus. secundus. diuina. fauente. clementia. Romanorum. Rex. et. semper. Augustus. et. Rex. Sicilie. (*Chrismon.*) Cum ex debito regie eminentie. omnium imperii fidelium iura. pio debeamus et uelimus fauore tueri atque gubernare. ex habundanti serenitatis nostrae beniuolentia. eorum intendimus iura non solummodo roborare. uerum quoque regali augere potentia. quorum continua obsequia

nobis ex suis meritis grata admodum sunt et accepta. Ad euidentiam igitur specialis gratiae ac dilectionis quam gerimus ad karissimam ciuitatem nostram Nurembercb. antiqua iura. a diuis predecessoribus ac progenitoribus nostris inclitis Romanorum imperatoribus et regibus semper Augustis eidem loco tradita. non solummodo confirmamus. immo si quem habere uidentur deffectum. Cum locus ille nec habeat vineta. neque nauigia. immo in durissimo situs sit fundo. De mera benignitate subplemus. statuentes et pro futuris temporibus incommutabiliter obseruari sanctientes. Quod quilibet eiusdem loci Ciuis. nullum habere debeat aduocatum preterquam nos. et nostros successores. Romanorum Reges. et imperatores. Item Quicunque ciuis antedictae Ciuitatis fecerit se alicuius Muntman. tam ciuis ille. quam Qui hoc modo receperit eum. gratiam nostram demeruit. et in utroque pax non uiolatur. Item nemo Aliquem ciuem loci illius duello impetere debet. in toto Romano imperio. Item quicunque alicui ciui Nurembergensi aliqua bona sua. siue predia siue feoda obligauerit Aut inpignorauerit. Quocunque bona illa obligata deuoluentur. siue ad dominos. seu ad heredes. ciuis ille cui antea fuerunt obligata *in quieta permaneat pos*sessione. quousque *a* successore redimantur. Item Quicumque aliquem Nuorembergensem bonis suis. siue prediis. siue feodis quocunque modo inbeneficiaverit. si forte Dominus feodi aliquo tempore illi feodum neg*auerit. vel si a*liquis ipsum ciuem super hoc impecierit. Et ciuis cum suis conciuibus testimonio legitimo comprobauerit. se esse inbeneficiatum. in quieta permaneat possessione. Item nullus Dominus. aliquem Nurembergensem compellere debet. ad ius. Quod appellatur. Lehenreht. Item Quicumque Dominus aut alius Creditor. alicui. Nuorembergensi accommodata reddere rennuerit. mansionarius illius. aut mercator. vel suus voitman. erit pignus Nuorembergense. Nullus Nuoremberngensis. sit alicuius hominis Gaphant. de iure. nec vnus Mercator pro alio. Item Quicquid Aliquis Norembergensis delinquit pro quo delicto puniendus esset in persona aut in rebus. si satisfecerit sculteto nostro. nulli amplius respondere debet. de hoc delicto. et gratiam nostram percipiet. Ad hec Ciuibus loci sepedicti talis gratia pro iure ab omnibus

predecessoribus nostris inclitis Rom. Regibus tradita et indulta dinoscitur. quam nos quoque approbamus. vt si Dominus imperii. ab ipsis stevram exiget. non particulatim Sed in communi. quilibet pro posse suo persoluere debeat. Item in nundinis Werdae. ciuis Nuorembergensis cum Denariis Nuorembergensibus. de iure cambiet. et Emet aurum et argentum. et nemo prohibebit. Similiter in nundinis Nordelingen. Cum Denariis Nuorembergensibus. ement et cambient aurum et argentum. Et Magister Nurembergensis monetae illuc ibit si uoluerit. et Denarios sue monete ibi formabit. Nullus Nuorembergensis in celebratione curie Regalis ibidem. de aliquibus rebus suis soluet theloneum. In ascha. Nurembergenses non magis soluent thelonei De rebus suis. quam Nauta de naui sua. De Ratispona usque Pattauiam. nullum soluent theloneum In ciuitate wormatiensi. in festo Sancti Johannis Baptiste. si unus Nuorembergensis. Dabit ibidem libram unam piperis. et duas Cirothecas. Anno illo nichil aliud soluent vel amplius Nuorembergenses. In ciuitate Spirensi nichil soluunt Nuorembergenses. Et econuerso Spirenses nichil soluunt apud Nuoremberch. Vt igitur hec nostrae renouationis largitas. et confirmationis sanctio. perpetuum recipiat uigorem. atque inposterum inviolabiter (inviolabiliter) obseruetur. hoc scriptum. inde fieri iussimus sigillo Regie maiestatis communitum. sanctientes. et sub interminatione Gratiae nostrae districtius. nec non sub periculo rerum et personarum precipientes. ne vlla omnino persona. humilis vel alta. secularis siue ecclesiastica. vllo umquam tempore ei contradicere presumat. vel aliquo ausu temeritatis contrauenire. Testes. Eberhardus. Salzburgensis ArchiEpiscopus. Otto. Frisingensis Episcopus. Hartwicus. Eistetensis Episcopus. Sifridus. Augustensis Episcopus . . . . . Aquensis prepositus. Lodwicus. Comes palatinus Reni. et Dux bawarie. Liupoldus. Dux Austrie et stiriae. Bernhardus. Dux Karinthie. Comes Egno Junior de Vrach. Hainricus nobilis De Niffe. Comes Chuonradus Burcrauius de Nuoremberch. . . . . . Marchio De Baden. Anselmus De Justingen. Marescalcus Imperii. Ph. (ilippus) de bonlandia. et alii plures. Signum Domini Friderici (*Monogramma*) Romanorum Regis et semper Augusti et gloriosi Regis sicilie in per-

petuum. Ego Chuonradus Metensis. et spirensis Episcopus. Imperialis aule Cancellarius. vice Domini Sifridi. Sanctae moguntinae Sedis Archiepiscopi. ac totius Germaniae Arcicancellarii. recognoui.

Actum Anno Incarnationis Domini Millesimo. Ducentesimo. XVIIII°. Regnante Piissimo Domino nostro Friderico. secundo. Diuina fauente Clementia Romanorum Rege. semper Augusto. et Glorioso Rege Siciliae Anno Romani Regni ipsius septimo. Sicilie vero XXII°. feliciter. Datum apud Nvoremberch. Anno suprascripto VI°. Idus Novembris. Septime Indictionis.

a) Sigillum integrum appendet ex filis sericis.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Editum in Wölkern Historiae Norimb. diplom. Prodromo p. 9—12. cum commentario amplissimo, in Tolner Cod. diplom. 68., in Schütz hist. Brandenburg. sylloge 58. num. 24., in Lünig parte special. continuat. IV. Theil II. p. 85., in Murr commentat. de re diplom. Friderici II. 69. Adest similiter specimen totius instrumenti a Joh. Guill. Stoer Noriberg. 1746. sculptum.

d) Membrana instrumenti originalis duobus locis exesa lacunas habet, ope copiae antiquae ac libri copialis ab editoribus et ex his nunc suppletas, cursivis litteris indicatas.

DCXLIV.

Anno 1219. 25. Novembr. apud Nuremberch.

Fridericus II. rex Chuonrado Ratisponensi episcopo civitatem Ratisponam cum omni iure restituit, quod Ratisponenses episcopi hactenus in ea ab imperio habuerunt; fontes quoque Salinarum et fodinas cuiuscumque generis metallorum ecclesiae Ratisponensi et episcopo Chuonrado confert, inventas aut inveniendas in fundis eiusdem ecclesiae aut haereditarii patrimonii ipsius dicti episcopi.

In nomine. sancte. et. indiuidue. Trinitatis. amen. Ego. Fredericus. dei. gratia. Romanorum. rex. semper. Augustus. et. rex. Sycilie. in. perpetuum. Licet dilecti fideles nostri principes fidelitate obligati sint maiestati nostre regie. decens tamen et honestum fore reputamus. ut specialibus eos exhibitionibus. et benefactis excitemus. ad diligendum nos sincerius. nam lentescere solet affectus. quem non fouet familiaritas. et non firmat beneficium aut beniuolentia singularis. pensantes ergo ardua obsequia. que Ratisponensis ecclesia progenitoribus nostris et nobis impendit fideliter. recompensanda ea duximus sue deuotioni beneficio speciali. Sane omne ius. quod episcopus Ratisponensis quiscumque hactenus in ciuitate Ratisponensi ab Imperio habere consueuit. et honestas consuetudines. quas Ciues eiusdem Ciuitatis euentu qualicumque ad nostram potestatem retorserant. dilecto Consanguineo nostro Chuonrado Ratisponensi episcopo recognouimus. et plene restituimus. uolentes eandem Ciuitatem uniuersaliter sub antiquo iure ipsum respicere. Imperio conseruandam. Fontes quoque Salinarum et cathmias siue materias. auri. argenti. plumbi. cupri. siue aliorum metallorum cuiuscumque generis. in possessionibus ecclesie Ratisponensis uel in fundis quocumque iure dominatus aut pa-

tronatus. ad eandem ecclesiam Ratisponensem pertinentibus. inuentas et inueniendas. ipsi ecclesie Ratisponensi perpetualiter contulimus. inuentas autem et inueniendas in fundis hereditarii patrimonii ipsius episcopi Chuonradi sibi specialiter contulimus iure feodi. et eas. ut predistinctum est. utriusque tam ecclesie uidelicet. quam ipsius episcopi usibus. presenti scripto nostre maiestatis. inuiolabiliter confirmauimus. sicut et firmum uolumus permanere. Propter maiorem autem firmitatem nomina testium. qui huic nostro facto interfuerunt. duximus esse subnotanda. Testes autem hii sunt. Otto dux Meranie. Comes Guncelinus de Krozuk. Anshelmus Marscalcus. Eberhardus de Sluzzelberch. Ratoldus de Perg. Liupoldus et Hildeboldus fratres de Grindelah. Hawardus de Outingen. Goezwinus ante portam. Chuonradus de Schrotshoven. Heinricus de Eberspiunde. Ruodigerus thelonearius. Liupoldus Prager. Baldewinus ante urbem et alii quam plures.

Signum. domini. Friderici. secundi. Romanorum. regis. inuictissimi. et. regis. Sycilie. *(Monogramma.)*

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus. Imperialis aule Cancellarius uice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii recognoui. Acta sunt hec anno dominice Incarnationis. M. CC. XVIIII. Indictione VIII. regnante domino Frederico secundo Romanorum et Sycilie rege glorioso. anno regni eius in Germania VII. Sycilie uero XXII. Datum apud Nurenberch. septimo Kalendas Decembris. Indictione prescripta.

a) Sigillum illaesum et bene expressum appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Notae chronologicae, ex quibus Indictio caesarea est, omnes inter se conveniunt.

c) Editum in Ried cop. didl. Ratisb. I. 323. num. 340.

DCXLV.

Anno 1219. 26. Novemb. apud Nuorenberc.

Fridericus II. rex Lodowico duci Bawariae, palatino comiti Reni, eiusque haeredibus omne genus metalli, quod in terris patrimonii et feudi ipsius repertum fuerit, in rectum feudum concedit.

FRIDERICUS SECUNDVS dej gratia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie. Dignum est et consentaneum rationj, ut hij qui ad exaltationem nostram, uotis fidelibus et seruitijs preclaris aspirant, a munificentia nostra ampliora beneficia consequantur. Hac itaque consideratione inductj, vniuersis Imperij fidelibus tam presentibus quam futuris notum facimus, quod nos attendentes sinceram fidem et deuotionem nec non et obsequia que dilectus consanguineus noster Lodowicus dux Bawarie palatinus Comes Renj maiestatj nostre frequenter exhibuit et inantea poterit exhibere. ex certa scientia et de mera liberalitate nostra, donauimus sibi et heredibus suis et in rectum feudum concessimus omne genus metalli tam in auro et argento, quam in alijs, quod in terris patrimonij et feudj suj fuerit repertum. cum omnj iure et utilitate exinde proueniente, et quam nos et Imperium percipere deberemus. Statuimus igitur, et auctoritate regia districte precipimus, ut nulla umquam persona alta uel humilis, ecclesiastica uel secularis, contra hanc nostram concessionem uenire presumat. Quod qui presumpserit offensam nostram et grauem indignationem incurret et pro pena temeritatis sue centum libras aurj componat. quarum medietas Camere nostre altera uero passis iniuriam persoluatur. Ad hujus autem nostre donationis et concessionis memoriam presens priuilegium inde scribj et Sigillo magnificentie nostre iussimus communirj. Huius rej testes sunt. Conradus Ratisponensis episcopus. Otto Frisingensis episcopus. Otto dux Meranie palatinus Comes Burgundie. Comes Conradus de

de Mosburc. Geuehardus langrauius de Luckinberc. Diepuldus frater eius. Anselmus Marscalcus de iustingen. Ramungus de Swabahc. Albertus lupus. Albertus Rindismul. et alij quam plures

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus Imperialis aule Cancellarius. vice dominj Syfredj Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie Archicancellarij recognouj. Acta sunt hec anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo nonodecimo. Indictione Octaua. Regnante domino nostro Friderico dej gratia illustrissimo Romanorum Rege semper Augusto et Rege Sicilie. Anno Regni eius in Germania septimo, et In Sicilia uicesimo secundo feliciter Amen.

Datum apud Nuoremberc sexto kalendas Decembris, Indictione prescripta.

a) Sigillum periit, superstite duplici funiculo serico purpurei coloris, ex quo dependebat, massa cerae posterioris avulsa et separatim adiacente.

b) Notae omnes chronologicae inter se conveniunt, ex quibus indictio est dicta caesarea.

c) Editum in Freheri Origin. Palat. parte II. p. 81. c. 17., in Scheid Orig. Guelf. III. 653, et in Aettenkhofer k. Gesch. der H. v. Bayrn 159. num. 2.

DCXLVI.

Anno 1219, nobis, antiquis 1220, 29. Decembr. apud Augustam.

Fridericus II. rex ecclesiae Sancti Johannis (monasterio) Staingaden praedium Chinderiet confert et donat, quod sibi Heinricus de Ebenhouen transmisit et donavit.

F. dei gratia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie. Cum ex debito Regie Maiestatis omnia que ad honorem et commodum ecclesiarum dei scimus esse profutura promovere teneamur. ea sincero affectu per omnia prosequi cupientes ubicumque ad nostram deuenerint presentiam ad effectum perducere uolumus. et de futuro cautelam adhibere nostre protectionis. Hinc est quod omnibus presens scriptum respicientibus notum esse cupimus quod Heinricus de Ebenhouen predium suum jn chinderiet cum omnibus pertinentijs suis per manum fidelis nostri de Tannenberc Berhtoldj transmisit ad nos et nobis donauit omne Jus et proprietatem quod jn eo habebat nobis penitus resignando. Rogans vt nos eandem proprietatem et donationem Ecclesie Sanctj Johannis jn Stangadem (Staingadem) conferremus. Nos quoque iuxta peticionem suam iam dictum predium contulimus et donauimus Ecclesie antedicte cum omni Jure ad ipsum pertinente. vt autem jn posterum predictj. V. successoribus aut aliquo aliorum sepedicta Ecclesia grauamen subire jn ipso predio non timeatur. sigilli nostri munimine idem donum propensius confirmauimus appositis testibus talem donationem nobis datam et a nobis Ecclesie prenominate jnspicientibus jn nostri presentia. Hij testes sunt. Otto frisingensis Episcopus. Vlricus patauiensis Episcopus. Bertoldus de Nifen. Heinricus de Nifen. Berhtoldus de tannenberc. Eberhardus dapifer de tanne. Engelscalcus et Hermannus de hagenebere. et Alij quam plures. Datum apud Augustam Anno dominice incarnationis Milles. cc. xx. iiij. kal. januarij. Indictionis viii.

a) Sigillum, quod appendebat, periit cum segmento membranaceo, cui praeparata erat incisio in membrana inferius complicata adhuc conspicua.

b) Indictio et ipse annus chr., olim a 25. die mensis Decembris incipientes, respondent nostro anno 1219. Sequenti anno 1220 eodem die 29. Decemb. Fridericus II., accepta imperiali unctione, in regno suo Neapolitano sive Siciliano morabatur, titulo imperatoris constanter usus: testis insuper primus hic nominatus, Otto (II.) episcopus Frisingensis vita excesserat 1220. 17. Maii.

c) Ineditum.

DCXLVII.

Anno 1220. ex nostro computu, ex Florentino 1219. 4. Januar. apud Wingarten.

Fridericus II. rex ecclesiae Outtenburensi libertatem, ab antiquis regibus et imperatoribus illi collatam confirmans, privilegium a Friderico I. avo suo an. 1171. 7. Maii concessum, renovat ac inserit; quia vero advocatiam Outenburensis ecclesiae, per Conradum abbatem sibi in feudo traditam, filio suo Heinrico, duci Suevorum et rectori Burgundiae concessit, leges advocato eiusque ministro statuit, gratiasque novas addit, ut ministerialibus liceat feuda, ad imperium seu ducatum spectantia, dare ecclesiae praedictae, et ut ad preces abbatis minister advocati, quidquam nequiter agens, debeat amoveri.

IN Nomine Domini Dei eterni, et saluatoris nostri JESV Christi. FRIDEricus secundus diuina fauente clementia. Romanorum

Rex semper Augustus, et Rex Sicilie. Si loca religiosa, et ea que diuinis sunt cultibus deputata, Regum seu Imperatorum felicium predecessorum nostrorum donis ditata sunt et priuilegiis roborata. dignum iudicamus et honestum, dona ipsa et priuilegia in perpetuum confirmare. Notum itaque fore volumus omnibus Imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos Outtenburnensis Ecclesie libertatem, ab antiquis Regibus et Imperatoribus sibi collatam, nequaquam infringere, aut diminuere; sed cohroborare et ampliare potius cupientes, scriptum predecessorum nostrorum Lotharii et domini Friderici aui nostri Imperatorum felicis memorie, propter veritatis euidentiam, placuit nobis in presenti pagina interserere, vt deinde nostre traditionis et filii nostri Henrici Sueuorum ducis et Rectoris Burgundie possimus edicta, ordinatione apponere competenti. Est autem huiusmodi scriptum Imperatoris Lotharij. „Priuilegia venerande ac sancte Congregationis Outtenburnensis. Cenobij etc.“ Vt igitur tam domini Imperatoris Lotharij scriptum ad quam domini Friderici Aui nostri imperatoris memorie felicis edictum, omni euo ratum conseruetur et firmum, et à nulla persona seculari vel Ecclesiastica valeat imutari (immutari). eorum priuilegia duximus perpetuo confirmanda. Et quia insuper Aduocatiam prefate Outtenburnensis Ecclesie in feudo per Conradum Abbatem eiusdem monasterii nobis traditam et concessam, supradicto filio nostro duci Sueuorum et Burgundie Rectori concessimus, statuimus, vt aduocatia ipsa nullo modo alienetur. sed eidem duci filio nostro dabitur annuatim de qualibet Huoba sita in ea parte, que Geu dicitur modius tritici, et modius siliginis, et agnus, vel decem et octo denarij, et de qualibet Huoba sita in parte illa, que Tan dicitur maltarum auene, et agnus, uel decem et octo denarij. de villa verò Outtenburnensi dabuntur annuatim sex libre in collecta. Indulsimus etiam vnà cum ipso filio nostro, vt liceat ministerialibus, et à nobis feuda habentibus ad Imperium seù ducatum spectantia, dare ecclesie Outtenburnensi ea pro suis animabus. Item si minister eiusdem filij nostri super ipsa ecclesia constitutus, circa ipsum monasterium aliquid nequiter egerit, ad preces abbatis debeat amoueri. Ad cuius rei perpetuam firmitatem pre-

sens priuilegium inde fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratum. Huius rei testes sunt, Henricus maior Constantiensis prepositus. Imperialis Aule Protonotarius. Conradus Burgrauius de Nuoremberc. Conradus de Lovbon. Euirhardus dapifer de Tan. Conradus et Euirhardus de Wintersteten. Burchardus de Hohenburg. Henricus et Volricus de Shonegge. Wolfsatil. Haldewanc. Suigerus de Mindelberc. Ortolfus constantiensis canonicus. Walterus de Egge. et alij quam plures. Datum apud Wingarten. Anno dominice Incarnationis, Millesimo ducentesimo, nono decimo. pridie Nonas Januarij. Indictione Octaua. Regnante domino nostro Friderico Illustrissimo Romanorum Rege semper Augusto. et Rege Sicilie. Anno verò Romani Regni eius in Germania octauo, et in Sicilia, vicesimo secundo. feliciter. Amen.

a) Sigillum in ora sinistra nonnihil laesum appendet ex filis sericis viridis, rubri et albi coloris, quorum tamen pars maxima est disrupta.

b) Annus ex calculo, dicto Florentino 1219, notatus, tuncque respondens nostro anno 1220, sicuti omnes reliquae notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Editum im tausendjährigen Ottobeyren 87 et 88. et in Feyerabend Ottenbeurens Jahrbüchern II. 834. num. 9. cnfr. S. 322 — 326.

DCXLVIII.

Anno 1220. 26. April. apud Frankenfort.

Fridericus II. rex, qui imaginem monetae Nurembergensis secundum imaginem monetae Ratisponensis fieri prius permiserat, nunc in gratiam civitatis Ratisponensis et totius Bawariae hoc fieri prohibet, perpendens damna gravissima, quae eiusmodi similitudinibus proveniunt.

In. nomine. sancte. et. indiuidue. trinitatis. amen. Fredericus sesundus. dei. gratia. romanorum. Rex. semper. augustus. et. Rex. Sycilie. omnibus. in. perpetuum. Quia frequenter edictum speciale serpere solet in detrimentum uniuersitatis. et quod statuitur ad tempus. obseruatur in euum. indempnitati omnium atque singulorum secundum equitatis normam prospecturi. nihil quod equitati obuiet. et fidelibus nostris dampnum seu grauamen subroget. statuere uolumus. immo taliter a nobis. uel a quocumque statutum irritare semper studebimus. maxime cum de maiestatis nostre gremio. non solum emanare non debeat quicquam iuri contrarium. uerum limes equitatis et iustitie a nobis cum decenti districtione. summo firmitatis robore ampliari. Sane inducti ipso equitatis zelo. ac prece obsequiisque dilectorum consanguineorum et fidelium nostrorum Chvonradi uenerabilis episcopi ratisponensis et Lodewici illustris comitis palatini Reni. ducis bawarie. imaginem monete nvrenbergensis. quam secundum imaginem monete ratisponensis. fieri permiseramus. immo statueramus. omitti et deleri fecimus. statuentes. ne de cetero. neque temporibus nostris. neque postea. aput Nvrenberch moneta fiat. que contineat imaginem similem imagini monete ratisponensis. sed aliam ab ista tam alienam. ne aliqua similitudo imaginum contuentibus. de ipsis ingerat ambiguitatem. Idem quoque districte inhibemus per

omnes ciuitates bawarie. sub pena seuere ultionis. nolentes alios fouere in iniuriis. a quibus ipsi desistimus. maxime cum in talibus similitudinibus et tamquam idemptitatibus monetarum dampna lateant uniuersalia. et ex ipsis generalius proueniat dispendium prouinciis et hominibus. quam ex gwera. uel causa aliqua temporis siue aeris particulari. Ut autem huius nostre gratie beneficium. tam prefatis fidelibus nostris et eorum successoribus. et ciuitati Ratisponensi quam etiam toti bawarie. ratum permaneat in perpetuum. et irreuocabile ab omnibus nostris heredibus. et successoribus in imperium. presentem paginam inde conscribi fecimus. eamque sub notatione testium. et nostri Sigilli muninime roborari. Testes hii sunt. Sifridus moguntinus archiepiscopus. Theodoricus treuerensis archiepiscopus. Engelbertus coloniensis archiepiscopus. Albertus meideburgensis archiepiscopus. Hvgo leodiensis episcopus. Ekebertus Babenbergensis episcopus. Haertwicus Eihstetensis episcopus. Otto traiectensis episcopus. Heinricus Wormatiensis electus. Engelhardus Niwenbergensis episcopus. Heinricus Basileiensis episcopus. Heinricus dux Brabantie. Heinricus de Niffen. Anshelmus Marscalcus de justingen. Chvonradus de Werde et Volricus de Leren. aule nostre regie Camerarii et alii quam plures.

Signum. domini. Frederici. secundi. romanorum. regis. inuictissimi. et. regis. Sycilie. *(Monogramma.)*

Ego Chuonradus metensis et spirensis episcopus imperialis aule cancellarius uice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii. recognoui.

Acta sunt autem hec anno dominice incarnationis M°. CC°. XX. In. Dictione. Viiij^a. Regnante domino Frederico secundo. Romanorum. et Sycilie rege glorioso anno regni eius in Germania. viii°. In Sycilia vero xxiii°. Data aput Frankenfort Sexto Kalendas Maii Indictione prescripta.

*) Bulla aurea, quam appendisse adhuc annis 1815 ac 1823 testantur novissimi scriptores, Ried in Cod. dipl. Ratisb. I. 326. ad

finem num. 341 et de Lang in Regestorum Volum. II. 104 hoc ipsum diploma recensens bullamque auream memorans, cuius tamen ipso instrumento nulla fit mentio, modo deest periitque; sola autem remansere fila serica viridis ac rubri coloris membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio unitate abundat; reliquae tamen notae chronologicae inter se conveniunt; ex annis nimirum regnorum ille regni Germanici ducitur à 6. Decembr. 1212. et alter regni Siculi a fine an. 1197. aut initio anni 1198. cum hic alias ducatur a mense Maii 1198; in hoc enim casu ultimo dicendum, annum regni Siculi aliquot diebus a scriptore diplomatis fuisse anticipatum.

c) Editum in Ried iam memorati Cod. dipl. Rat. I. 324. num. 341.

d) Desumtum ex archivo civitatis Ratisbon.

DCXLIX.

Anno 1220. 26. April. apud Frankefurte.

Fridericus II. rex in favorem principum ecclesiasticorum, sibi hactenus et nunc in electione filii sui Heinrici in regem assistentium, generali privilegio quaedam gravamina eorum tollit, circa spolia, thelonea et monetas, circa homines ecclesiarum et feoda earum, circa excommunicatos etc.

In nomine Sancte et individue Trinitatis Amen. Fridericus Secundus Dei gratia. Romanorum Rex. semper augustus. et. Rex. Sycilie. omnibus. in. perpetuum. Digna recolentes animadversione quanta efficacia et fide. dilecti fideles. nostri principes ecclesiastici nobis hactenus astiterint. ad culmen imperii nos promovendo. promotos in ipso firmando. et demum filium nostrum Heinricum in Regem

Regem sibi et Dominum benevole atque concorditer eligendo. censuimus eos per quos promoti sumus. semper promovendos. et per quos firmati sumus. una cum ipsorum Ecclesiis semper fore nostra defensione contra noxia queque Firmandos. Igitur quia in eorum gravamina quedam consuetudines et ut verius dicamus abusiones. ex longa perturbatione imperii. que per Dei gratiam nunc quievit et quiescet. inoleverant in novis Theloneis. in monetis. que se invicem ex Similitudinibus imaginum destruere consueverant in guerris advocatorum et aliis malis quorum non est numerus. Statutis quibusdam eisdem abusionibus obviavimus. primo promittentes. quod nunquam deinceps in morte cuiusquam principis ecclesiastici reliquias suas fisco vendicabimus. inhibentes etiam ne Laicus quisquam aliquo pretextu sibi eas vendicet. sed cedant Successori. si antecessor intestatus decesserit. cujus testamentum si quod inde fecerit. volumus esse ratum. Item nova Thelonea et novas monetas in ipsorum territoriis sive jurisdictionibus. eis inconsultis seu nolentibus non statuemus de cetero. sed antiqua Thelonea et jura monetarum eorum ecclesiis concessa. inconvulsa et firma conservabimus. et tuebimur. nec ipsi ea infringemus. nec ab aliis ledi permittemus. modis aliquibus. utpote monete turbari et vilificari (solent) similitudinibus imaginum. quod penitus prohibemus. Item homines quocumque genere Servitutis ipsis attinentes. quacunque causa se ab eorum obsequiis alienaverint. in nostris civitatibus non recepiemus (recipiemus) in eorum preiudicium. et idem ab ipsis inter se eisque â Laicis omnibus universaliter volumus observari. Item Statuimus. ne quis ecclesiam aliquam in bonis suis dampnificet occasione advocati eorundem bonorum. si dampnificaverit. dampnum in duplo restituat. et C. Marcas argenti Camere nostre solvat. Item si aliquis eorum vassallum suum qui eum forte offendit. jure feodali convenerit. et sic feodum evicerit. illud (illum) suis usibus tuebimur. et si ipse feodum de bona et liberali sua voluntate nobis conferre voluerit. recipiemus. amore vel odio non obstante. Quocunque autem modo. sive etiam ex morte infeodati principi ecclesiastico feodum aliquod vacare contigerit. illud auctoritate propria immo violentia nullatenus invademus. nisi de bona voluntate liberalique con-

cessione sua potuerimus obtinere. sed cum effectu suis usibus studebimus defensare. Item sicut justum est. excommunicatos eorum. dum tamen ab ipsis viva voce. vel per litteras eorum vel per honestos nuncios fide dignos nobis denunciati fuerint vitabimus. et nisi prius absolvantur. non concedemus eis personam standi judicio. sic distinguentes. quod excommunicatio non eximat eos â respondendo impetentibus. sed sine advocatis. perimat autem in eis jus et potestatem ferendi Sententias et testimonia. et alios impetendi. Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritualis. excommunicationem. si excommunicatos in ea ultra VI. Septimanas perstitisse. praedictorum modorum aliquo nobis constiterit. nostra proscriptio Subsequetur non revocanda nisi prius excommunicatio revocetur. Sic utique aliisque modis omnibus iusto videlicet et efficaci judicio ipsis prodesse atque preesse. firmiter compromisimus. et ipsi versa vice. fide data promiserunt. quod contra omnem hominem. qui tali nostro judicio ipsis exhibendo violenter restiterit. nobis pro viribus suis efficaciter assistant. Item constituimus. ut nulla edificia. castra videlicet seu Civitates. in fundis ecclesiarum, vel occasione Advocatie vel alio quoquam pretextu construantur. et si qua forte sunt constructa. contra voluntatem eorum quibus fundi attinent. diruantur regia potestate. Item inhibemus. ad imitationem avi nostri felicis memorie. Imperatoris Friderici ne quis officialium nostrorum in Civitatibus eorundem principum. jurisdictionem aliquam sive in Theloneis sive in monetis seu in aliis officiis qualibuscunque sibi vendicet. nisi per VIII. dies ante Curiam nostram. ibidem publice indictam. et per VIII. dies post eam finitam nec etiam per eosdem dies in aliquo excedere presumant jurisdictionem principis. et Consuetudines Civitatis. Quotienscunque autem ad aliquam Civitatum eorum accesserimus. sine nomine publice curiae nichil in illa juris habeant. sed princeps et dominus ejus. plena in ea gaudeat potestate. Sane quanto Fidem ampliorem predictorum Principum circa nos intelleximus. tanto excellentius eorum profectibus semper intendimus. prospicere. et quoniam acta hominum Oblivio inimica memorie. per longam temporum evolutionem Sepelire solet diligentia vigilantiori adhibita. hec nostre

gratie beneficia. ecclesiis impensa perpetuari volumus. Statuentes. ut heredes nostri. et Successores (in) imperio. ea rata conservent. et exequantur. et faciant. in Subsidium Ecclesiarum à Laicis universaliter observari. et ut futuris innotescant. et à presentium non excidant memoria sive notitia. ea fecimus huic pagine annotari. et paginam Subnotatione. nominum eorum qui interfuerunt principum videlicet. et Sigilli nostri munimine insigniri. Testes hii sunt. Sifridus mogontinus Archiepiscopus. Theodoricus Treverensis Archiepiscopus. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus. Albertus Meideburgensis Archiepiscopus. Cuonradus Metensis et Spirensis Episcopus. imperialis aule Cancellarius. Ekebertus Babenbergensis Episcopus. Cuonradus Ratisponensis Episcopus. Hartwicus Eihstetensis Episcopus. Heinricus Wormatiensis Episcopus. Otto Trajectensis Episcopus. Theodoricus monasteriensis Episcopus. Hwardus Leodicensis Episcopus. Engelhardus Niwenburgensis Episcopus. Heinricus Basiliensis Episcopus. H. Habelbergensis Episcopus. et alij quam plures.

Ego Chuonradus Metensis et Spyrensis (*Monogramma*) Episcopus imperialis aule Cancellarius vice domini Mogontini Archiepiscopi et totius Germanie Archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice Incarnationis M°. CC°. XX°. Indictione VIIII^a^. regnante Domino Friderico Secundo Romanorum et Sycilie Rege glorioso anno regni ejus in Germania VIII°. in Sycilia vero XXIII°. data aput Frankefurte VI°. Kal. Maij. Indictione prescripta.

a) Bulla aurea, quam appendisse novissimus adhuc scriptor copiae Saec. XVIII^vi^ ad finem eiusdem copiae testatur, modo deest ac periit; remansere tamen fila serica rubri ac flavi coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio unitate abundat; reliquae vero notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Instrumentum privilegii huius ex archivo Eichstadiensi desumtum, aliis tamen etiam episcopatibus concessum ac traditum, utpote generale, impressum habetur in Heda histor. episc. Traiect. 332. in Lünig parte general. continuat. II. 145. et spicileg. eccles. I. Theil 169. in Schannat hist. Wormat. Probat 101 in Senkenberg corp. iuris feudalis p. 547. 549. num. 13. et insertum privilegio Friderici II., quod 1234 concessum est archiepiscopo Mog. ap. Falkenstein Cod. Eichst. 62. n. 62. ap. Würdtwein subsid. dipl. IV. 402 — 405.

d) Facta huius exemplaris cum editis exemplaribus comparatione, praeter pauca quaedam ex oscitantia scriptoris hic omissa, potissima eorum differentia in nominibus ac ordine testium deprehenditur; nam Havelbergensis episcopus, erronee initiali H. hic indicatus, in editis omissus est, et Hugo episcopus Leodicensis, hic pariter erronee scriptus, in editis primum post archiepiscopos locum occupat. Notandum etiam, quod antiqua eius copia habeatur in libr. cop. n. 12. fol. 1. b. — 2. b.

DCL.

Anno 1220. 18. Maii. apud Hagnowe.

Fridericus II. rex Canonicis cathedralis ecclesiae concedit et dimittit advocatias de Aitingen, sub ea pensione, qua eas a patruo suo, Philippo rege, et postmodum habuerunt.

Fr(idericus) Dei Gratia Romanorum Rex Semper Augustus et Rex Sicilie Vniuersis Imperij fidelibus tam presentibus quam futuris gratiam suam et omne bonum. Insinuandum duximus Vniuersitati vestre quod nos dilecto Capellano nostro R. Maioris Augustensis Ecclesie Preposito et eiusdem Ecclesie Canonicis dilectis Fidelibus nostris pro Salute nostra et ob remedium animarum

progenitorum nostrorum concessimus et habendas dimisimus Aduocatias de Aitingen Sub ea pensione qua eas à Rege Philippo inclite recordationis patruo nostro et postmodum etiam iam dicti Prepositi antecessores habuerunt. Volentes ut nostris diebus Ecclesia Augustensis super aduocatijs illis eam habeat gratiam quam hactenus ab Antecessoribus nostris est assecuta. Quapropter mandamus Sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nullus sit qui de eisdem Aduocatijs aliquatenus se intromittat uel memorato Preposito aut Ecclesie Augustensi ammodo in ipsis dampnum inferat uel grauamen. Quod qui fecerit maiestatis nostre iram et offensam se non dubitet grauiter incursurum. Datum apud Hagnowe. Anno Incarnationis dominice. Millesimo Ducentesimo. Vicesimo. quinto Decimo. Kalendas Junij Indictione. Octaua.

a) Sigillum in parte superiori laesum, qua laesione caput regis, initium etiam ac finis inscriptionis periere, appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio respondet anno indicato.

c) Ineditum, quamvis indigitatum paucissimis verbis à Braun in der Gesch. der B. von Augsb. II. 236., qui tamen plures de Rapotone summo praeposito affert notitias.

DCLI.

Anno 1220. 1. August. apud Augustam.

Fridericus II. rex monasterio Staingaden advocatiam bonorum eius in Sibenaich, a duce Welfone seu a Manegoldo (de Sibenaich) illi collatorum, ab impetitione Heinrici de Sibenaich liberam esse declarat, qui etiam coram rege huic iuri et actioni renunciat.

a) Sigillum, laesum in omni ora ac praecipue in parte superiori, qua laesione caput regis ac omnis fere inscriptio periere, appendet ex duplici funiculo, qui contextus est ex filis sericis rubri, viridis, albi ac purpurei coloris.

b) Indictio respondet anno indicato 1220.

c) Editum in Mon. Boic. VI. 510. num. 24. ubi p. 511. lin. 3. leg. Gebezo.

DCLII.

Anno 1220. 7. August. apud Augustam.

Fridericus II. rex principibus suis, Eckeberto Babenbergensi et Ottoni Herbipolensi, episcopis liberam concedit facultatem, transigendi de mutuis matrimoniis inter ecclesiarum eorum familias contrahendis et de contrahentium prolibus inter praedictas ecclesias partiendis.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus secundus diuina fauente clementia Romanorum Rex semper

Augustus. et Rex Sicilie. Quanto nos ad seculi regimen pre ceteris excelsius. diuini altitudo consilii sublimauit. tanto nos ad fauorabiles fidelium nostrorum preces debemus non immerito facilius inclinari. Nouerit igitur omnium Christi fidelium tam presentium etas. quam futurorum successura posteritas. quod ad peticionem dilectorum et fidelium principum nostrorum. Eckeberti babenbergensis. et Ottonis Herbipolensis episcoporum. de matrimoniis inter aecclesiarum eorum familias contrahendis. et de contrahentium prolibus. inter predictas aecclesias parciendis. liberalem eis magnificentiae nostre consensum dedimus. et fauorem. Ratum habentes. et presentis scripti ac sigilli nostri munimine confirmantes. quicquid ipsi de prudentum. ac fidelium suorum consiliis. super predictis ac mutuis matrimoniorum contractibus ad aecclesiarum suorum profectus et commoda decreuerint ordinare. Huius rei testes sunt. Albertus Magdeburgensis archiepiscopus. Eckebertus Babenbergensis episcopus. Sifridus Augustensis episcopus. Cuono fuldensis et elwacensis abbas. Laici. Otacarus Rex Boemie. Ludewicus dux Bawariae. palatinus comes reni. Henricus Marchio Morauiae. Otto dux de Meram. palatinus comes Burgundiae. Henricus comes de ortenberch. Lvdewicus comes de Zigenhagen. Ludewicus comes de Otingen. Burchardus comes de Mannesfelt. Lampertus comes de Gelichen. Hermannus comes de Waldenberch. Fridericus de truhendingen. Albertus de Frankenstein. Berhtoldus de Alenuelt. Anshalmus de Justingen. Marscalcus. Cunradus vlricus fratres de Werda. Henricus magister coquine de Rotenburch. Rudolfus de houelt. Richolfus de lutenbach. et Alii quam plures.

Data apud Augustam. vij°. Idus Augusti Indictione. viij[a].

a) Sigillum, in ora nonnihil laesum, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Annus Chr. per solam indictionem indicatus est.

c) Editum in Stumpf hist. Archiv für Franken. II. Heft. 23.

d) Desumtum ex Archivo Wirceburg.

DCLIII.

Anno 1220. 17. August. apud Augustam.

Fridericus II. rex monasterium Staingadmense sub specialem recipit protectionem, illique universas possessiones confirmat, quas nominatim exprimit.

a) Sigillum integrum ac bene expressum, attamen à cavitate cerae, cui impressum est, facile semovendum, et propterea illi massae cerae noviori tempore filo quodam adstrictum, appendet ex filis sericis viridis et rubri coloris.

b) Indictio erronea est posita loco VIII.; annus autem regni convenit anno Chr. indicato.

c) Editum in Hund metrop. III. Edit. Monac. 362. edit. Ratisb. 250. et in Mon. Boic. VI. 512. num. 25. ubi p. 512. lin. 11. leg. Staingadmensis; p. 513. lin. 11. leg. Gebreme; lin. 14. leg. Vmiste.

d) In omnibus, vix non de verbo ad verbum, hoc diploma convenit cum priore Philippi II. confirmatione 1201. 20. Septembr., excepto uno solum loco, ubi ecclesia in Bitingo nunc accessit: cnfrtur etiam confirmatio Heinrici VI. 1189. 6. Septembr.; nam utraque praecedens confirmatio in hoc instrumento memoratur.

DCLIV.

Anno 1220. 1. Septembr. Ulmae.

Heinricus VII., dux Sueviae et in regem Romanorum electus ratam habet patris sui Friderici II. donationem, Rappotoni maiori praeposito totique capitulo Augustensis ecclesiae, super advocatiis villae Aitingen factam.

H(einricus) dei gratia dux sueuie et in regem Romanorum electus. Uniuersis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. gratiam suam et omne bonum. Diuine remunerationis intuitu non solum beneficia liberaliter a progenitoribus nostris ecclesiis collata diminuere nolentes. immo de liberalitatis nostre munificentia dilatationi earum disponentes adicere. uniuersitati uestre presenti scripto duximus intimandum. quod pro salute nostra et parentum nostrorum dilectis fidelibus nostris Rapp (Rappotoni) maiori preposito totique Capitulo Augustensis ecclesie aduocacias utriusque ville aitingen sub eo iure ac ea pensione qua eas ipsi et antecessores eorum ab inclite recordationis Rege philippo patruo nostro et postmodum habuerunt. hilariter concedimus et habendas dimittimus. ratum et firmum habituri factum patris nostri gloriosissimi regis Romanorum semper Augusti et Regis Sicilie. qui sicut continetur in literis suis dicto Capitulo super hoc indultis. prefatas aduocacias antedicto preposito et ecclesie sue concessit antea. et de regie maiestatis gratia permisit habendas. Ne igitur temporibus nostris gratiam quam super aduocatiis illis est consecuta ecclesia Augustensis quocunque casu ualeat amittere. Mandamus sub interminatione gratie nostre precipientes districte. ut nullus sit qui deinceps manum temerariam in preiudicium ecclesie iam dicte ad ipsas audeat extendere aduocatias. uel se intromittendo de ipsis. uel alias in eis dicto preposito et concano-

nicis suis amodo inferendo damnum aliquod siue grauamen. Quod siquis fecerit diuine maiestatis et nostre indignationis non effugiet ultionem. Datum Vlme. Anno Dominice incarnationis Millesimo Ducentesimo. Vicesimo. Kalendis Septembris. decima indiccione.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere tamen fila serica, licet disrupta, flavi coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Ineditum, memoratum autem in Braun Geschichte der B. von Augsb. II. 236.

d) Praecedens Friderici II. concessio, cuius in hoc instrumento saepius memoria habetur, data fuit eodem anno 1220. 18. Maii.

DCLV.

Anno 1220 potius, quam 1221. 25. Novembr. iuxta Sutrium.

Fridericus II. imperator in favorem monasterii Wezzinsbrunne ministerialibus aulae imperiali subiacentibus concedit licentiam, illi benefacere, principes autem et nobiles hortatur, ablata praedia eidem restituere.

a) Massa cerae, et quidem pars eius posterior sive supina, appendet ex filis sericis rubri coloris; nam anterior pars eiusdem massae cum ipso sigillo periit. Fila autem membranae inferius complicatae innexa solito breviora sunt et nodo quodam inter utrumque foramen colligata; foramina etiam iusto maiora esse videntur. Exinde suspicio non levis excitatur, sigillum istud aut non spectare ad hoc instrumentum, aut aliquando abruptum illi denuo fuisse dicto modo alligatum.

b) Ad insolita ista insuper pertinent:

1) manifestus calami error absque signo deletionis relictus; correctus quidem in Mon. Boic. VII. 392. lin. 5. ab infra, ast praeter fidem authographi, quam servat Leuthner mox laudandus.

2) Chunradus cancellarius inter testes ante Sifridum Moguntinum archiepiscopum nominatus.

c) Indictio, saltem ea, quae caesarea dicitur, et annus imperii currentis, nimirum ante tres dies inchoati, denotant annum Chr. 1220, cui pariter respondent locus in castris iuxta Sutrium et praesentia Sifridi Augustensis episcopi ac Ludovici Bavariae ducis, uti videre est ex actis apud Raumer Hohenstaufen III. 347. 353, nam iidem sequenti anno 1221. mense adhuc Septembr. in transmarinis partibus fuerunt, nequaquam autem in castris imperatoris Friderici. vid. Raumer l. c. 375. 377. qui Tom. II. 570. hoc instrumentum ad annum 1220. refert.

d) Editum a Leutner in historia Wessofont. 247. et in Mon. Boic. VII. 392. num. 15. cnfr. ibid. Num. 14. ubi diploma aliud eiusdem imperatoris eodem anno ac die et loco datum occurrit, cuius autographum quidem non comparet, ast ab erroribus praedictis liberum est.

DCLVI.

Anno 1222. 12. Mart. ap. Wormatiam.

Heinricus VII. rex ex petitione Gebhardi electi Patauiensis fert sententiam: quod non teneatur ex iure vel debito concedere vel solvere feoda, quae tantum ex camerae proventibus sunt distincta.

H. dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. uniuersis fidelibus suis. presentem paginam inspecturis. gratiam suam et omne bonum. Ad uniuersitatis uestre noticiam presentis certitudine scripti uolumus peruenire. quod ex petitione dilectj et familiaris principis nostri. G. electj Patauiensis. in regie maiestatis nostre conspectu sententiam queri fecimus. si uidelicet aliquis teneatur ex iure. ad talium concessionem siue solutionem feodorum. que nec loco nec alia aliqua certitudine. nisi tantum ex camere prouentibus. sunt distincta. Et super hoc utique talis sententia data fuit. quod ad hujusmodj feoda conferenda siue soluenda. nemo ex iure uel ex debito tenetur aliquatenus. nisi quantum gratia atque uoluntas propria cuilibet persuaserit in hoc facto. Actum apud Wormatiam. IIII°. Idus Martij. Anno domini. M°. CC°. XXII°. Indictione. X[a]. Presentibus Sifrido Maguntino archiepiscopo. Ottone Herbipolensi et Heinrico Wormacensi episcopis. Lvdewico comite de wirtenberch. Wernhero de Bonlande. et aliis pluribus.

a) Sigilli fracti pars inferior ex segmento membranaceo appendet, nonnisi pedes regis sedentis et duas inscriptionis litteras exhibens.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Ineditum.

DCLVII.

Anno 1222. 27. April. Venafri.

Fridericus II. imperator ecclesiam Faucensem in specialem suam et imperii recipit protectionem; simulque omnibus praepositis suis et officiatis, circa possessiones eiusdem ecclesiae commorantibus mandat: ut eam manutenere et defendere non omittant; denique antiquam illi libertatem confirmat, salvo omni iure sibi et haeredibus suis.

Fridericus Secundus diuina fauente clementia. Romanorum Imperator semper Augustus. et Rex Sicilie. Per presens scriptum notum fieri uolumus uniuersis Imperii fidelibus. quod nos attendentes fidem puram. deuotionem sinceram. nec non et laudabilem Conuersationem. dilecti fidelis nostri. Dietonis venerabilis Abbatis faucensis. et fratrum in eodem loco famulancium. ipsum et Ecclesiam suam. cum omnibus bonis suis mobilibus et inmobilibus. Agris. Pascuis. Piscaturis. *ne*moribus. et Montanis. in nostram specialem et Imperii recepimus protectionem. *sta*tuentes et Auctoritate presentis Scripti confirmantes. ut nulla omnino persona. cu*iuscumque.* fuerit condicionis. alta vel humilis. Ecclesiastica uel secularis. Ante dictum. *D.* abbatem. uel aliquem successorum suorum in bonis Ecclesie presumat perturbare. nec *eis dampn*um aliquod irrogare. Quod qui presumpserit. in sue temeritatis uindict*am in*dignationem nostri Culminis se nouerit grauiter incursurum. Damus preterea. *universis* prepositis et Officiatis nostris. circa possessiones prememorate Ecclesie Commor*antibus.* firmiter in mandatis. ut quicumque sepefatum Abbatem in bonis Ecclesie sue indebite et contra iusticiam offendere presumpserit. Sibi Consilium. et Efficax Auxilium ad defensionem et tuicionem Ecclesie sue nullomodo contradicant et eam manutenere

atque defendere non obmittant. Quia tociens dictam Ecclesiam in omni iure et libertate eius permanere uolumus. sicut tempore Imperatoris Heinrici patris nostri. Inclite recordationis dinoscitur permansisse. Saluo omni iure. quod nos et heredes nostri ibidem habere debemus. Datum venafri. Anno domini M°. cc°. x°. XII°. v Kalendas Maij. Indictione. decima. Anno Imperii nostri. Secundo.

a) Sigillum, quod appensum erat, periit, remansere sola duo foramina ad oram membranae inferiorem.

b) Membrana ipsa tenuissima, panno recenti adglutinata, locum habet exesum, per plures in altitudinem lineas exporrectum, cuius lacunae facile restitutae sunt ex repetita confirmatione Heinrici VII. regis eodem anno 23. Junii dato, huicque in omnibus conformi.

c) Indictio ac annus imperii concordant anno Chr. 1222.

d) Ineditum.

DCLVIII.

Anno 1222. 29. Maii.

Heinricus VII. rex capitulo cathedralis ecclesiae Augustensis concedit et dimittit advocatias utriusque villae Aitingen, sub antiqua pensione, ratum habens privilegium, quod pater suus, Fridericus II. imperator, desuper illi concessit.

H. dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Vniuersis Imperii fidelibus. Tam futuris quam presentibus. Gratiam suam et omne bonum. Diuine remunerationis intuitu non *solum* (be-

neficia) *liberaliter* a progenitoribus nostris ecclesiis collata diminuere nolentes. immo de liberalitatis nostre munificentia dilatationi earum disponentes adicere. uniuersitati vestre presenti scripto duximus *intim*andum quot (quod) pro salute nostra et parentum nostrorum dilectis fidelibus nostris. Rappotoni maiori prepostito totique. capitulo. augustensis ecclesie aduocatias utriusque. villae Aitingen. sub eo iure ac ea pensione. qua eas ipsi et antecessores eorum ab inclite recordationis Rege Philippo patruo nostro et postmodum habuerunt hilariter concedimus. et habendas dimittimus. ratum et firmum habituri factum patris nostri gloriosissimi Imperatoris Romanorum semper augusti. et regis Sicilie qui sicut continetur in literis suis dicto capitulo super hoc indultis. prefatas advocatias. antedicto preposito. et ecclesie sue concessit antea. et de regie maiestatis gratia permisit habendas. Ne igitur temporibus nostris gratiam quam super aduocatiis illis est consecuta ecclesia Augustensis quocumque casu valeat amittere. Mandamus sub interminatione gratie nostre precipientes districte. ut nullus sit qui deinceps manum temerariam in preiudicium ecclesie iamdicte ad ipsas audeat extendere aduocatias. uel se intromittendo de ipsis. uel alias in eis dicto preposito et canonicis suis amodo inferendo damnum aliquot siue grauamen. Qvot (quod) siquis facere presumpserit. diuine maiestatis et nostre indignationis non effugiet ultionem. Anno dominice Incarnationis. Millesimo ducentesimo vicesimo secundo. iiii. Kalendas. Junii. Indictione. viiii.

a) Sigillum in ora inferiori nonnihil laesum, qua laesione aliquot mediae inscriptionis litterae evanuerunt, appendet ex filis sericis rubri et albi coloris.

b) Indictio erronea est posita et unitate decurtata loco X^{mae}. Locus autem non est expressus, ubi datum sit instrumentum.

c) Per omnia, vix non de verbo ad verbum, convenit cum praecedenti diplomate eiusdem regis tunc electi 1220. 1. Sept.

d) Ineditum.

DCLIX.

Anno 1222. 23. Junii. apud Ulmam.

Heinricus VII. rex ecclesiam Faucensem in specialem suam et imperii recipit protectionem, quam simul committit praepositis et officiatis circa possessiones eiusdem ecclesiae commorantibus.

Heinricus diuina fauente clementia. Romanorum Rex. semper Augustus. Per presens scriptum notum fieri uolumus uniuersis Imperii fidelibus quod nos attendentes fidem puram. deuotionem sinceram. nec non et Laudabilem Conuersationem dilecti fidelis nostri. Dietonis. venerabilis abbatis faucensis. et fratrum in eodem loco famulancium. ipsum et Ecclesiam suam cum omnibus bonis suis. mobilibus et inmobilibus. Agris. pascuis. piscaturis. nemoribus. et montanis. in nostram specialem et Imperii recepimus Protectionem. Statuentes. et Auctoritate presentis Scripti confirmantes. ut nulla omnino persona. cuiuscumque fuerit Conditionis. alta uel humilis. Ecclesiastica uel secularis. antedictum. D. abbatem. uel aliquem successorum suorum. in bonis Ecclesie sue presumat perturbare. nec eis dampnum aliquod irrogare. Quod qui presumpserit. in sue temeritatis uindictam. indignationem nostri culminis. Se nouerit grauiter incursurum. Damus preterea universis prepositis et Officiatis nostris. circa possessiones prememorate Ecclesie Commorantibus. firmiter in mandatis. ut quicumque sepefatum Abbatem. in bonis Ecclesie sue. indebite. et contra iusticiam. offendere presumpserit. Sibi Consilium et Efficax Auxilium. ad defensionem et tuicionem Ecclesie sue nullomodo impendere contradicant. et eam manutenere atque defendere non obmittant. Nos enim tociens dictam Ecclesiam in omni iure et libertate sua permanere volumus. sicut tempore Imperatoris Heinrici Avi nostri inclite recordationis. dinoscitur

permansisse. Saluo omni iure quod nos sicut progenitores ibidem habere Debemus nostri.

Datum Apud vlmam. viiij°. Kalendas Julij. Indictione. decima. Anno domini. M°. cc°. xx°. ii°. Anno Regni nostri primo.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere sola duo foramina ad oram membranae complicatae inferiorem.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Diploma hoc Heinrici VII. in omnibus, vix non de verbo ad verbum, concordat cum praecedente confirmatione Friderici II. patris eius, eodem anno 27. Aprilis eidem monasterio Faucensi concessa.

d) Ineditum.

DCLX.

Anno 1222. 1. Octob. Cathaniae.

Fridericus II. imperator H. (Heinricum) praepositum de Ranshouen, quem in capellanum suum recepit, cum bonis eius, sub speciali sua et imperii protectione constituit.

a) Sigilli valde laesi pars media maior appendet ex filis sericis nigri et rubri coloris, quae figuram, excepto capite imperatoris, fere totam exhibet.

b) Annus non est expressus. Indictio, quae caesarea dicitur, incipiens à 24. Septemb., à Friderico II. plerumque usitata, annis tantum 1222 et 1237 durante eius imperio convenit, ex quibus prior tantum annus locum habere potest, cum et titulus et sigil-

lum imperatoris nondum exprimant possessionem regni Jerusalem, quam Fridericus II. iam au. 1225 mense Novemb. consecutus est. Obstare quidem videtur littera initialis praepositi Ranshovensis, H., cum Heinricus praepositus inter an. 1230 — 1245 illi monasterio praefuisse legatur in Catalogo praepositorum Ranshov. Mon. Boic. III. 235. et in Hund. metr. III. edit. Mon. 202. edit. Rat. 140. Verum potior fides diplomati quam dicto Catalogo habenda erit.

c) Editum in Mon. Boic. III. 331. num. 18. ad an. 1238., ast erronee, ut ex dictis liquet; ubi simul linea ult. leg. H. (Heinrici).

DCLXI.

Anno 1223. 1. Februar. Capuae.

Fridericus II. imperator monasterium de Waltsahsen cum bonis eius sub sua et imperii protectione suscipit.

Fridericus dej gratia Romanorum Imperator Semper Augustus et Rex Sycilie. Per presens scriptum Notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris. quod nos attendentes honestam uitam et laudabilem conuersationem venerabilis Abbatis Conuentus et Monasterij de waltsahsen. ipsum Monasterium cum omnibus bonis suis stabilibus et mobilibus que nunc iuste possident et in posterum dante domino iustis modis poterunt adipisci. sub nostra et Imperii protectione suscipimus Statuentes et Imperiali edicto firmiter inhibentes ut de cetero nulla persona Magna uel parua Ecclesiastica uel Secularis contra huius nostre protectionis paginam dictum Conuentum et Monasterium memoratum. in aliquo molestare audeat uel presumat. Quicumque autem hoc attemptare presumpserit iram et indignationem nostram se nouerit grauiter incursurum. Data Capue dominice Incarnationis Millesimo. Ducentesimo. vicesimo tercio. Kalendis Februarij. Indictione. xi.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; sola remanserunt foramina duo ad oram inferiorem membranae complicatae.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato 1223.

c) Ineditum, memoratum autem a Bruschio in Monasteriologia. Edit. 1682. p. 249.

DCLXII.

Anno 1223. 11. Septembr. apud Northusam.

Heinricus VII. rex monasterio Eberacensi praedium et parochiam Swabach, exemplo avi sui Heinrici VI. et patris sui Friderici II. imp., confirmat.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus septimus dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. Justis fidelium nostrorum postulationibus tanto maiestatis nostre fauorem liberalius impertimur. quanto ampliora ipsis exinde speramus beneficia prouenire. quantoque ab altissimo eterne beatitudinis premia prestolamur. Nouerint igitur tam presens etas quam successura posteritas. quod pie memorie consanguineus noster Fridericus illustris dux de Rotenburc predium suum Swabach cum attinente parrochia et omnibus eidem ecclesie attinentibus consensu et stipulatione Cvonradi tunc temporis Eistedensis episcopi. ecclesie Ebracensi absolute et sine contradictione cuiuslibet liberaliter contradidit et donauit. quam donationem diue recordationis Heinrici. et serenissimi patris nostri Friderici Imperatoris Imperialis magnificentie auctoritas perpetuo priuilegiorum munimine roborauit. Nos itaque ad eius misericordiam qui pre ceteris gloria nos et diuiciis exaltauit respectum habere uolentes et felicium progenitorum nostrorum uestigia cupientes imitari. predictum predium secundum formam donationis et confirmationis ipsis conces-

sam. nos similiter ipsis una cum attinente parrochia per omnia confirmamus. uolentes ut tam prefati ducis donatio quam felicium Imperatorum confirmatio. cum utraque iusta sit ac legitima. firmitatis perpetue robur obtineat et uigorem. Preterea pie profitemur totum predium antedictum cum parrochia dilectis fratribus nostris Ebracensibus nos uelle tueri. neque alium eis in eisdem bonis esse uolumus aduocatum. quam Romani sceptri maiestatem. aut quem ipsi fratres pacis sue constituerint prouisorem. Omnem quoque exactionem et annue pensionis molestiam seu quicquid eorum quieti importunum esse potuerit. tam ab eis quam a colonis eorum auctoritate regia perpetuo remouemus. omnes eorum iniurias digna uolentes prosequi ultione. Ad huius etiam rei certam euidentiam presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro fecimus communiri. Testes hii sunt. S. Maguntinus. E. Coloniensis venerabilis archiepiscopi. O. wirzeburgensis. Nwenburgensis. Hildenshemensis. Merseburgensis. Padeburnensis episcopi. L. dux bawarie palatinus comes Reni. D. Marchio de hohinburc. G. comes de dieths. H. prepositus sancti Stephani in babinberc. Th. scolasticus maioris ecclesie wirzeburgensis et alii quam plures.

Acta sunt hec apud Northusam anno ab incarnatione domini M^{mo}. CC^{mo}. XXIII. III. idus septembris. Indictione XII.

a) Sigillum in utraque ora, dextra ac sinistra, laesum, totam nichilominis regis imaginem exhibens, appendet ex filis sericis rubri, viridis et flavi coloris. A tergo conspicitur sigillum minus ex annulo cerae impressum.

b) Indictio erronea est, posita loco currentis XI, quod patet ex aliis instrumentis huius regis eodem anno ac mense Northusae datis, inter quae illud ap. Schöttgen et Kreysig Diplomatar. I. 757. pro monasterio Volkenrod eodem loco, anno ac die datum verissimam exprimit indictionem XI.

c) Editum in privilegiis Ebracensibus II. ‑. num. 48. In potissimis vix non de verbo ad verbum consonat cum confirmatione

Friderici II. 1213. 26. Febr., quae cnfr. et alia simul desuper diplomata 1195. 16. Jul., 1200. 15. Mart., 1209. 24. Febr.

DCLXIII.

Anno 1223. 10. Novemb. in Egra.

Heinricus VII. rex iudiciali sententia decernit, ne in vicinitate monasterii Waltsaxen vel praediorum eius castrum aedificetur.

H. (Heinricus), dei gratia Romanorum rex et semper augustus. vniuersis presentem paginam inspecturis. Gratiam suam et omne bonum. Notum esse uolumus tam futuri. quam presentis eui hominibus. quod pro dilectis fratribus in Walthsaxen nobis iudicio presidentibus sententiatum est. quod in prediis eorum siue in uicinia Cenobii sui in preiudicium ecclesie ipsorum castrum non debeat edificari. Ne igitur huic sententie nostre sollempniter et legitime late quis in posterum presumat obuiare cautionem inde conscribi. et eam sigillo nostro roborari cum astipulatione testium precepimus. quorum hec sunt nomina. Cuonradus Cancellarius noster spirensis episcopus. Ekebertus episcopus babenbergensis. Hermannus Marchio de Badem. Theobaldus Marchio de hohenborch. Geuehardus Lanthgrauius de Lukenberch. et frater ejus theobaldus. Gerhardus Comes de Deisth. Euerhardus de Euerstein. Euerhardus de Sluozberch. Anselmus Marscalcus de Justichen. Cuonradus dapifer de Walburch. Dith. de Rauenesborch. Albertus lupus. Hermannus. Albertus Rindesmule. de Nurenberch. Albertus Nothhafthe et filius ejus Albertus. Albertus de Wonsedele. Heinricus de Kinsberch. Cuonradus de valkenberch et Godefridus frater ejus. Vlricus de leuenstene. Cuono et heinricus fratres de Louenstein. Marcwardus de Wachowe. Arnoldus de Sparrenberch. et frater ejus Ruodegerus de Sparrenhecke.

et alii quam plures. Acta sunt hec anno incarnationis dominice. M°. cc°. xxiii°. iiii°. jdus Nouembris. Indictione xii. in Egra.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere fila serica rubri et viridis coloris, membranae inferius complicatae innexa, disruptorum nimirum filorum pars superior.

b) Indictio, quae Caesarea dicitur, respondet anno Chr. indicato.

c) Ineditum, memoratum tamen. et extractum à Bruschio in Monasteriologia p. 249.

DCLXIV.

Anno 1224. mense Februar. Cathaniae.

Fridericus II. imperator petente Hermanno domus hospitalis Sctae Mariae Theotonicorum in Jerusalem privilegium suum, super domo hospitali apud Ellingen eidem domui prius 1216. 8. Septembr. concessum, inserendo renovat et confirmat.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et Indiuidue trinitatis. FRIERICUS. secundus diuina fauente clementia romanorum Imperator semper Augustus et Rex sicilie. Inter alia pietatis opera quibus Imperialis dignitas uberius exornatur, liberalitas optinet principatum. illa precipue que ad commodum et utilitatem locorum uenerabilium exercetur. nam si a terreno principe particula datur illius interuentu qui affluenter tribuit vniuersa. quod dat ad eum cum fenore multo reuertitur precipue cum per hoc uidetur quod pro terrenis eterna prouida meditatione mereatur. Noscat igitur fidelium nostrorum presens etas et futura posteritas. quod frater Hermannus venerabilis magister do-

mus hospitalis sancte Marie theotonicorum in Jerusalem coram nostra presentia constitutus ostendit nobis quoddam priuilegium concessum a nobis eidem domui hospitali dudum ante susceptum Imperij diadema et maiestatj nostre attencius supplicauit. ut priuilegium ipsum nunc in nostri sublimitate Imperij innouare et confirmare de nostra gratia dignaremur. cuius priuilegij tenor talis est. Fridericus dej gratia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie etc. (ut supra Nro. 624. ex originali, exceptis minutis varietatibus). Nos autem supplicationibus predictj magistri benignjus inclinatj. diligencjus attendentes honestatem et re*ligionem laudab*ilem ejus et fratrum suorum necnon grata et accepta seruicia que nobis semper exhibuerunt et exhibere non desinunt incessanter. predictum priuilegium de benignitate solita confirmantes. ipsum de uerbo ad uerbum sicut superius scriptum est iussimus innouarj. Mandantes et presentis priuilegij auctoritate firmiter iniungentes. ut nulla omnino persona parua uel humilis, ecclesiastica uel secularis. domum hospitalis predictj contra hanc confirmationem nostram et tenorem priuilegij supradictj de prefato hospitalj apud Cillingin (Ellingin), ausu temerario inpedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis uindictam indignationem nostram et penam Centum librarum Aurj se nouerit incursurum. medietatem Camere nostre et alteram medietatem predicto hospitalj passo iniuriam persoluendam. Ad hujus autem confirmationis et innouationis nostre memoriam et perpetuam firmitatem. presens priuilegium scribi et Sigillo maiestatis nostre iussimus communirj. Hujus rej testes sunt. Berardus panormitanus et Nicolaus Tarentinus Archiepiscopi. Cuonradus Triestinus. Jacobus pattensis et Bartholomeus Siracusanus Episcopi. Johannes Abbas Casemarij. Raynaldus Dux Spoletj. Evirhardus dapifer de Walpurc. et alij quam plures.

Signum domini Friderici secundi dei gracia Romanorum Imperatoris semper Augusti *(Monogramma)* et regis sicilie.

Acta sunt hec Anno dominice Incarnationis. Millesimo. du-

centesimo. vicessimo quarto. Mense februarij duodecime Indictionis. Imperante domino nostro Friderico secundo dej gratia inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto et Rege Sicilie. Anno Romanj Imperij eius quarto. Regni uero Sicilie vicesimo sexto feliciter Amen. Datum Cathaniae. Anno. Mense. et Indictione prescriptis.

a) Sigillum illaesum et bene expressum appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Editum in dissertat. germanica, cui titulus, Brandenb. Usurpationsgesch., in den Beilagen 222. num. 104.

d) Instrumentum inscriptum est membranae crassissimae; locum autem exesum habet in medio contextus, ad finem diplomatis inserti per duas lineas, et per lineam sequentem huius novi diplomatis se exporrigentem, illic ex originali priori facile restituendum, hic autem restitutum ex contextu et ex editione mox supra notata.

e) Locus olim donatus ac nunc confirmatus in instrumento inserto trina vice Cellingin, et in ipsa confirmatione una vice Cillingin scriptum invenitur, erronee utique, cum nomen eius verum sit Ellingen in episcopatu Eichstadiano.

DCLXV.

Anno 1224. mense Februar. Cathaniae.

Fridericus II. imperator fratribus hospitalis Sctae Mariae Theotonicorum in Jerusalem donationem Ottonis episcopi Wirziburgensis et capituli eius confirmat, nimirum curiam in civitate Wirziburgensi ultra Mogum iuxta monasterium Scotorum, cum curtibus ad eam pertinentibus, quae olim fuit avi sui Friderici I. et patris sui Henrici VI. imperatorum.

(Chrismon.) In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus secundus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus et Rex Sicilie. Inter uaria humane sollicitudinis exercicia ea nobis proficere ac preualere ad anime salutem confidimus. que Christiane religioni de clementia nostra conferimus et ecclesiis ac religiosis personis ad fidem catholicam ampliandam, misericorditer elargimur. Hac igitur inducti consideratione laudabili diligentius attendentes religionem et honestatem fratrum hospitalis sancte Marie theotonicorum in Jerusalem. pro remedio quoque anime nostre et diuorum Augustorum felicis memorie patris et matris nostre. donationem quam Otto venerabilis wirziburgensis episcopus. et Capitulum eiusdem ecclesie hospitali predicto fecerunt de Curia in Ciuitate Wirziburgensi ultra mogum iuxta Monasterium Scotorum cum Curtibus ad ipsam Curiam pertinentibus constituta que olim fuit Friderici Aui et domini henrici patris nostri felicium augustorum recolende memorie in perpetuum confirmamus. De habundantiori quoque gratia nostra et celsitudinis munificentia. quicquid juris in ipsa Curia uel in Curiis ad eam pertinentibus habemus. uel habere uidemur. eidem hospitali et fratribus supradictis liberaliter elargimur. Statuentes et presentis priuilegii auctoritate firmiter iniungentes. ut nulla omnino

persona parua uel humilis ecclesiastica uel secularis hospitale predictum et fratres. de prenominata Curia siue Curtibus ad eam pertinentibus, et rationibus que ad nos exinde spectare noscuntur. inpedire aut molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis uindictam, indignationem nostram et penam Centum librarum auri puri se nouerit incursurum. medietatem Camere nostre et alteram medietatem passis iniuriam persoluendam. Vt autem hec nostra confirmatio et concessio robur semper obtineat perpetue firmitatis presens privilegium inde fieri et sigillo maiestatis nostre iussimus communirj. Huius rei testes sunt. Berardus panormitanus, et Nicolaus Tarentinus Archiepiscopi. Cuonradus Triestinus. Jacobus pattensis. et Bartholomeus Siracusanus Episcopi. Johannes Abbas Casemarij. Raijnaldus dux Spoletj. Cunradus dapifer de Walpurc et alij quam plures.

Signum dominj Fridericj secundj dei gratja Inuictissimj Romanorum Imperatoris semper Augustj *(Monogramma)* et regis Sicilie.

Acta sunt hec Anno dominice Incarnationis. Millesimo. ducentesimo. Vicesimo quarto Mense Februarij. duodecime Indictionis Imperatore domino nostro Friderico secundo dej gratia inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto et Rege Sicilie. Anno Romani Imperii ejus quarto. Regni uero Sicilie Vicesimo sexto, feliciter Amen. Datum cathanie. Anno. Mense et Indictione prescriptis.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, cum ipsis filis, nec aliud appensi sigilli remansit vestigium, nisi tria foramina, quae apparent in membrana inferius complicata.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Ineditum. Donatio Ottonis Wirceb. ep. et capituli eius memoratur in Regest. II. 99. et 101. an. 1219. 16. Novemb.

DCLXVI.

Anno 1224. 3. April. apud Wimpinam.

Heinricus VII. rex unacum genitore suo, Friderico II. imperatore, renunciat advocatiae monasterii Campidonensis, pro quinquaginta marcis argenti annuatim camerae regiae persolvendis.

Heinricus septimus dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus Laudabile satis in principe genus Humanitatis habetur. sed tunc laudabilius industria regnantis exercere genus pietatis agnoscitur. cum ecclesijs dei et locis venerabilibus bona temporalia largiendo caduca pro eternis, pro celestibus eterna prouida liberalitate mereatur. Hac igitur ducti consideratione laudabili diligentius attendentes fidem et deuotionem tuam. H. venerabilis Abbas campidonensis dilectus fidelis noster. necnon religionem et honestatem sacri cenobij Campidonensis et fratrum ibidem deo seruientium pro Animabus diuorum Augustorum parentum nostrorum recolende memorie et salute nostra de nostre munificentia maiestatis. damus. concedimus et imperpetuum confirmamus tibi heinrice venerabili Abbati successoribus tuis et monasterio supradicto Aduocatiam Campidonensis monasterij quam predecessores nostri et nos hucusque tenuimus et una cum Karissimo genitore nostro F. Serenissimo Romanorum Imperatore semper Augusto et Rege sicilie ipsi Aduocatie renuntiamus omnino. Concedentes uobis decetero et monasterio sepedicto liberam potestatem de Aduocatia ipsa quicquid uolueritis ad honorem et utilitatem monasterij faciendi. ita tamen quod tam tu quam successores tui et monasterium ipsum uno quoque anno in festo beati Andree quinquaginta marcas purissimi et examinati argenti camere nostre dabitis omnj difficultate remota. Statuimus igitur et presentis priuilegij auctoritate mandamus. ut nullus sit qui predictum Abbatem uel successores suos Aut monasterium ipsum contra hanc concessionem

nostram impedire presumat uel aliquatenus molestare. Quod si aliquis ausu temerario presumpserit. centum libras auri componat. quarum medietas camere nostre. Altera vero passis iniuriam persoluatur. Ad huius itaque rei memoriam et perpetuam firmamentum. presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostre maiestatis iussimus communiri. Huius rei testes sunt. Siffridus Episcopus Augustensis. Heinricus wormaciensis episcopus. Heinricus Imperialis aule prothonotarius Gerhardus comes de dieths. Berhtoldus de drvchburc. Hermanus de Svlzberc. Heinricus de Rotenburc. Cvonradus de durna. Berhtoldus de Alnuelt. Cvonradus pincerna de Scipfa. Cvonradus et Eberhardus pincerne de winterstetin. Cvono de Ebersperc. Cvono et Albertus fratres de svmerowe. Heinricns et vlricus fratres de Schoenenecke. Siffridus et heinricus fratres de thunrsperc. Hermannus de wâle. Fridericus camerarius de bienburc. Walterus Nagillinus Minister de vlma et Alii quam plures. (*Monogramma.*)

Datum apud wimpinam Anno ab incarnatione domini Millesimo ducentesimo xxiiii[to]. tercio Nonas Aprilis. Indictione. xii[a].

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere tamen fila serica albi et rubri coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Ex regione quatuor ultimarum linearum studio decurtatarum positum est monogramma regis absque eius annunciatione.

c) Indictio convenit cum anno Chr. indicato.

d) Per omnia, vix non de verbo ad verbum, concordat cum alio diplomate Friderici II. anno 1218. potius quam 1219. 18. Septemb. Ulmae dato; sola excepta Friderici II. constitutione de moneta, quae hic omittitur quod iam in recensione istius Fridericiani instrumenti observatum est.

e) Ineditum.

DCLXVII.

Anno 1224. 25. Julii. apud Nurenberc.

Heinricus VII. rex ecclesiis Staingaden et Raitenbuch nec non G. de Crozoch fideli suo extirpationem nemorum, tam ad ipsas quam ad regem spectantium, exprobrans, Augustensi episcopo mandat, ut per praepositum regis de Moringen aedificia nova ibi constructa destruat, qui ambo assumtis officiatis regis de Scongov et Burun de causa cognoscant, et nemora in meliorem cautelam committant.

a) Sigilli a tergo appressi, quod ope etiam segmenti cuiusdam membranacei adstrictum erat, nunc autem vix non omnino pessumdatum est, nonnisi pars minuta restat, cuius figura vix agnoscitur.

b) Annus non est expressus; indictio autem indicata annum Chr 1224. designat.

c) Editum in Mon. Boic. VI. 514. num. 26. ubi lin. 11. leg. G de Crozoch.

DCLXVIII.

Anno 1224. 18. Octobr. apud Nuorenberc.

Heinricus VII. rex praeposito suo de Moringen bona claustri de Staingadem protegenda committit, nominatim contra gravamina praepositi de Reitembuoch.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. fideli suo preposito de Moringen. gratiam suam et omne bonum. Cum serenitas nostra ecclesiarum debeat oppressionibus subuenire. et maxime hiis quas progenitores nostri fundauerunt et per hereditatem eorum diuine remunerationis intuitu dotauerunt fidelitati tue mandamus sub pena gratie nostre districte precipientes. quatenus uniuersa bona claustri de Steingadem et fratrum ibidem deo militantium sub nostram et Imperii recipias protectionem et potestatem non permissurus sicut de nostra confidis gratia quod nominatim prepositus de Reitembruoch uel alius quisquam dampnum eis irroget uel grauamen. bona et terminos eorum eque sicut bona nostra defensando et id ipsum faciendum ex parte nostra officiatis sub te constitutis iniungas. alioquin grauem offensam nostram te noueris incursurum.

Datum apud Nuorenberc xv. Kalendas Novembris Indictione xii.

a) Sigilli a tergo appressi minutissima quaedam pars restat cum segmento membranaceo, cuius ope membranae adstrictum erat, cumque [illegible] [illegible] [illegible].

b) Annus Chr. non est expressus, quem tamen Indictio XII., sub Heinrico VII. rege semel annum et quidem ao. 1224 occurrens indicat.

c) [illegible]

DCLXIX.

Anno 1224. 30. Novembr. Nvrinberch.

Heinricus VII. rex in curia solemni, Nvrinberch celebrata, modum compositionis confirmat, quae se mediante tunc facta est inter Gebehardum Pataviensem episcopum et Hermannum marchionem de Baden de persolutione debitorum ac promissis, quibus praedecessor Gebehardi, Wdalricus, episcopus Pataviensis in transmarinis partibus marchioni praedicto se obligaverat.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus omnibus Imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Constitutus in nostra et dilecti principis nostri Archiepiscopi Salzburgensis presentia fidelis noster. H. Marchio de Baden. contra dilectum nobis Pataviensem Episcopum proposuit in hunc modum. quod cum in transmarinis partibus esset predecessor ipsius pie recordationis. wlricus episcopus et Marchio idem inter se conuenerint ibidem quod CCCC. Marcas Episcopus memoratus persolueret Marchioni. sub eo uidelicet pretextu. quod Patauiensis Ecclesie uassallus idem Marchio esset et quod jnsuper XL. Marcarum redditus de proprietatibus suis in manus resignaret Episcopi ipse Marchio quas nomine feodi ab ipso deberet recipere iterato. Insuper C. L. Marcas quas predecessori suo Marchio se mutuasse asseruit repetebat. Cum autem hec diffiteretur Episcopus successor eiusdem inter ipsos tandem coram nobis mediante dicto Archiepiscopo talis conposicio interuenit. ut tum pro CCCC. Marcis ipsi Marchioni vassalli nomine porrigendis. tum etiam pro reliqua summa pecunie quam ut asseruit suo mutuaverat predecessori. In proximo festo assumptionis beate virginis C. L. Marcas totidem que in futuro festo pentecostes. pat auiensis Episcopus Mar-

chioni persoluat memorato. Ea uidelicet conditione quod de redditibus predialibus. usque ad XL. Marcas resignatis et ab ipso Episcopo nomine vassalli receptis ipsum Episcopum uel eius de hiis nuntium jnstruat et informet. Insuper sepefatus Marchio pro E. comite de Helfinstein fideiussit quod idem comes ad X. Marcas proprietatum suarum in Manus dicti Episcopi debeat resignare. easdem nomine vassalli in feodo ab ipso iterum recepturus vt et Episcopus dicto comiti de Helfinstein ad plenum satisfaciat de promissis. vt hoc igitur quod ab ipsis alter utrum est factum robur teneat firmitatis presens scriptum tam appensione nostre bulle quam etiam Archiepiscopi Salzburgensis et ipsius episcopi Pataviensis et eiusdem loci capituli et Marchionis fecimus communiri. Datum Nvrinberch in Sollempni curia nostra pridie Kalendas decembris Indictione XIII.

a) Ex quinque sigillis appensis sigillum sive bulla regis periit, apparente eius fissura in parte inferiori membranae complicatae. Quatuor reliqua sigilla appendent ex segmentis membranaceis: secundum archiepiscopi Salzburgensis in omni ora laesum; tertium Gebehardi Pataviensis episcopi in ora inferiori laesum; quartum capituli Pataviensis, tantummodo in ora sinistra nonnihil laesum; quintum Hermanni marchionis de Baden equestre, in omni fere ora laesum.

b) Annum non expressum indicat Indictio, et quidem caesarea, cui favet diploma eiusdem regis 1. Decemb. 1224. Norimbergae datum ap. Dumont I. 162. Urk. 304. memoratum ap. Raumer Hohenstaufen II. 583.

c) Ineditum.

DCLXIX.

DCLXX.

Anno 1224. 4. Decembr. apud Hagenowe.

Heinricus VII. rex super sopienda controversia de feudo suo, quod progenitores sui ab ecclesia Wirzeburgensi habuerunt et ipse habere debet, approbat arbitros, ex utraque parte constitutos, et formam ipsius arbitrii, locum scilicet et terminum.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. Vniuersis literas presentes inspecturis. Gratiam suam et omne bonum. Significamus uobis quod super feudo nostro quod progenitores notri ab ecclesia wirzeburgensi habuerunt et nos debemus habere taliter inter nos et ecclesiam Wirzeburgensem condatum est annuente domino E. coloniensi Archiepiscopo et toto consilio nostro. quod super eadem discordia sopienda. ex utraque parte Arbitri sunt constituti. videlicet D. Marchio de hohinburc Comes G. de diets. E. dapifer de walburc et C. pincerna de clingenburc. hii Sunt expar te nostra. ex aduersa parte B. Burcgrauius de hennenberc. A. decanus maior wirzeburgensis. H. prepositus werdensis Marscalcus de Lvore uel dietricus de hohinberc. Super istos constituti sunt Maguntinus. treuirensis Coloniensis archiepiscopi. et si omnes hii tres hiis exequendis interesse non poterunt. Coloniensis assumpto Sibi altero predictorum Archiepiscoporum cum supradictis Arbitris in arbitrio procedet. Sciendum preterea est quod si persona aliqua de prenominatis non possit haberi. alia persona idonea loco absentis instituatur. Locus vero arbitrii apud Frankfort est designatus. terminus vero inoctaua epiphanie primo euenture apud vlmam prefigetur. Datum apud Hagenowe II. Nonas decembris. Indictione XIII.

a) Sigillum fractum et pene destructum est. Parvum eius fragmen-

tum appendet ex segmento membranaceo, quod caput tantum regis cum tribus litteris inscriptionis, nimirum incipientis, exhibet.

b) Annus non est expressus; indictio tamen, dicta caesarea, tunc frequentissime usurpata, annum 1224. denotat, cui concordat ipsum concordiae instrumentum a rege et arbitris eius an. 1225. 27. Julii datum ac sigillis eorum munitum, ubi personae pleraeque, hic nonnisi litteris initialibus indicatae, integris nominibus propriis scriptae leguntur.

c) Ineditum, memoratum tamen et germanice cum concordiae instrumento extractum a Frisio in Ludewig Geschschr. v. Würzb. 554.

DCLXXI.

Anno 1225. 27. Julii. apud Frankfort.

Heinricus VII. rex formam arbitrii approbans, quo controversia super feodo Herbipolensi inter patrem suum Fridericum II. imperatorem et se ex una parte, et ecclesiam Herbipolensem ex parte altera decisa est, nominatim exprimit feoda, quae ab ecclesia eadem se habere recognoscit, reliqua autem omnia ab impetitione sua et successorum suorum libera declarat.

(*Chrismon.*) In Nomine sancte et Indiuidue Trinitatis Amen. Henricus dei gratia Romanorum Rex et Semper Augustus. Ad noticiam omnium christi fidelium tam presentium quam futurorum. scripti huius insinuatione uolumus peruenire. quod cum super feodo Herbipolensi inter dominum et patrem nostrum Fr. Imperatorem et nos ab una parte. et ecclesiam herbipolensem ab altera. lis et dissensio aliquamdiu uerteretur. tandem ad declinandum totius rancoris et discidii fomitem. prudentum uirorum mediante consilio. electis utrimque arbitris. finalis eiusdem cause de-

cisio est commissa. Arbitrii autem forma talis est. quod oppidum Heilecbrunnen et villam Bochingen. cum omnibus bonis tam absolutis quam infeodatis. et omni jure. ita quod infeodati ad nos respectum habeant de suis beneficiis requirendis. Aduocatias quoque de Stephe et Sickershusen una cum uilla Kvonegeshouen que infeodata est. ab ipsa ecclesia in feodo teneamus. Preterea advocatiam in Frickenhusen concessam nobis cognoscimus. sub spe gratie specialis. Reliqua autem bona seu absoluta seu inbeneficiata quacunque sita. que eidem dicebantur feodo attinere sine omni inpedimento. et nostra ac omnium successorum nostrorum et a nobis descendentium inpeticione. ecclesia cunctis postmodum euis libere possidebit. quibus vniuersis seu absolutis seu inbeneficiatis coram subscriptis testibus pro nobis et patre nostro libere renuntiavimus et precise. nullam habituri in ipsa ullo umquam in posterum tempore accionem. Insuper ad certam fauoris et gratie euidentiam. qua prefatam ecclesiam amplexamur. violentias si que de nostris eidem ciuitatibus inferuntur. precipimus et ordinabimus amputari. Vt autem facti huius a nobis et ecclesia herbipolensi approbata stabilitas. perpetuo maneat inconuvlsa. presentem paginam nostro. Coloniensis Archiepiscopi.˜ Nuwenburgensis episcopi. ac aliorum. que appensa sunt. sigillis fecimus communiri.

Testes huius rei sunt, Engilbertus coloniensis Archiepiscopus. Engilhardus Nuwenburgensis episcopus. Laici. Otto dux Meranie. Boppo comes de Hennenberg. Diepoldus Marchio de Hohenburg. Gerhardus comes de dieths. Cuonradus comes zolre. Fridericus de truohendingen. Henricus de Gruonbach. Mangoldus de wilperg. Heinricus de Sternberg. Cuonradus de hohenloch. Ministeriales. Volricus de Mincenberg. Eberhardus dapifer de walburg. Hiltebrandus Marscalcus de Rechperg. Cuonradus pincerna de Clingenburg. Cuonradus de Winterstete. Fridericus Camerarius de Bigenburg. Dietho de Rabenspurg. Dietricus de hohenberg. Marscalcus Heinricus de Lure. Volkerus dapifer de Salzperg. Heinricus Magister coquine. et alii quam plures.

Actum anno domiui M⁰. CC. XXV. Indictione XIII. VI. Kal. Augusti.

a) Quatuor sigilla appendent, singula ex filis sericis rubri, viridis et albi coloris.

Primum, laesum in superiori parte sinistra (Heinrici), regis, cuius corona cum initio inscriptionis periit.

Secundum, fere illaesum, Engelberti Coloniensis ecclesiae archiepiscopi.

Tertium, illaesum, Engelhardi Nuinburgensis episcopi.

Quartum, fere illaesum, equestre, Ottonis ducis Meraniae et palatini Burgundiae.

b) Indictio respondet anno indicato.

c) Editum in F. A. Jägers Gesch. Frankenlands III. 346. num. 19; memoratum etiam et germanice extractum a Frisio in Ludewig Geschchr. von Wirzb. 554.

d) Locus ubi peractum est negotium, ex tractatu praevio 1224. 4. Decemb. colligitur, qui cnfrtur.

DCLXXII.

Anno 1225. mense Augusto. apud Alifiam.

Fridericus II. imperator ab Ekkeberto episcopo Bambergensi feudum ecclesiae eiusdem in Mortenowe, quod olim dux de Zeringen ab illa tenuit, sibi et filio suo Heinrico regi et haeredibus suis recepit, pro qua receptione quatuor millia marcarum argenti partim solvit, partim infra tempus praefixum se soluturum fore promittit.

Fridericus dei gratia Romanorum Imperator. Semper augustus. et Rex Sicilie. Per presens Scriptum. Notum fieri uolumus vniuersis Imperii fidelibus, tam presentibus quam futuris. quod cum

dilectus Princeps noster Ekkebertus venerabilis Babenbergensis Episcopus. feodum ecclesie sue in Mortenowe, quod olim tenuit ab eadem Ecclesia dux de Zeringen. nobis et dilecto filio nostro Heinrico Romanorum Regi, et heredibus nostris in perpetuum concesserit et donauerit in rectum et legitimum feodum in presentia illustris Jerosolimitani Regis. dilectorum principum nostrorum Austrie et Carinthie ducum, fratris Hermanni magistri domus Sancte Marie teotonicorum in Jerusalem, et quamplurium Imperii nobilium. apud Sanctum Germanum, tunc temporis, in Curia nostra presentium. nos pro ipsius feodi susceptione et recognitione, conuenimus quatuor milia marcarum argenti, ei et ecclesie sue, in subscriptum modum et tenorem. sine contradictione soluenda. de quibus apud Sanctum Germanum exolui fecimus ei pre manibus, ad opus et utilitatem ecclesie sue. Mille marcas argenti. In festo uero Pentecostes primo uenturo, anni uidelicet quartedecime Indictionis, tenemur exoluere Sibi uel nuntio suo per manus predicti magistri et fratrum domus Tevtonicorum Mille marcas argenti. Quas, si eodem termino non persoluerimus, mille marce prius solute, erunt ejusdem Episcopi. concessione ac donatione predicta minime ualituris. Reliqua uero duo milia marcarum argenti conuenimus uel Sibi uel nuntio suo ad opus ecclesie sue, in alio uidelicet futuro festo Pentecostes anni sequentis quintedecime Indictionis apud Nurinberc, per manus magistri et fratrum eiusdem domus teotonicorum soluenda. Que si non fuerint eodem prefixo termino persoluta. duo milia marcarum, que iam soluta erunt, sint ex toto Babenbergensis Episcopi. et predicta concessio et donatio, nulle erunt. Si uero, infra tempus solutionis predicte, uel prius quam integre sit facta solutio. aliquid nobis humanitus, quod deus auertat, contingeret, Henricus Rex Romanorum filius noster, usque per totum unum annum completum, ultra terminum nobis prestitum, habebit indutias, conuentam pecuniam persoluendi. Juxta quod in litteris eiusdem Babenbergensis Episcopi inde scriptis plenius continetur. Ad huius itaque conuentionis et solutionis memoriam, presens Scriptum ad cautelam dicti Episcopi, et ecclesie sue, fieri fecimus, et Sigillo nostro iussimus communiri. Data apud Alifiam.

anno dominice incarnationis Millesimo. ducentesimo. vicesimo. quinto. Mense Augusti, tertiodecime Indictionis.

a) Sigillum in ora nonnihil laesum, qua laesione aliquot litterae inscriptionis, mediae ac finientis, evanuerunt, appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.

b) Indictio respondet anno indicato 1225.

c) Ineditum.

DCLXXIII.

Anno 1225. 4. Septembr. apud Wormatiam.

Heinricus VII. rex ratam habet et confirmat alienationem, qua cum debita solemnitate ecclesia Porcetensis bona in Costem ecclesiae beati Stephani in Maguntia vendidit.

Henricus dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. vniuersis Christi fidelibus ad quos presens pagina peruenerit in perpetuum. Notum facimus vniuersis. quod nos propter urgentem necessitatem et manifestam utilitatem ecclesie Porcetensis. alienationem factam de bonis in Costem cum suis pertinentijs. que dicta ecclesia de consensu et auctoritate venerabilis. et dilecti Principis nostri Engelberti Coloniensis. Archiepiscopi. nostri prouisoris et Regnj. ecclesie beati Stephani in Maguntia. pro certa pecunie uendidit quantitate. ratam habemus. et eam nostri scripti munimine confirmamus. In cuius rei testimonium et firmitatem. presenti pagine sigillum nostrum iussimus appendi. Datum apud Wormatiam II. Nonas Septembris. Indictione xııj[a].

a) Sigillum, in parte inferiori fractum, appendet ex filis sericis subflavi et purpurei coloris.

b) Annus Chr. omissus desumitur ex indictione et serie actorum Heinrici VII., filii Friderici II.

c) Ineditum. Cnfr. Joannis Rer. Mogunt. Vol. II. 529 in Chronice eccles. colleg. S. Stephani Mogunt.

DCLXXIV.

Anno 1226. mense Martio apud Piscariam.

Fridericus II. imperator, petente Friderico abbate Rotensi, privilegium illi monasterio per fundatorem eius ab Heinrico IV. imp. obtentum, ex gratia confirmat, suaeque inserit confirmationi, quam tamen non impertitur clausulae, ubi erat rasura.

a) Sigillum fere illaesum, per omnia bene expressum, appendet ex filis sericis purpurei coloris.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Editum in Hund. metr. III. edit. Mon. 270. edit. Ratisb. 186. et in Mon. Boic. I. 372. num. 17. ubi lin. penultima ex fide authographi legatur: mense Marcii. Falsam lectionem secutus est Raumer Hohenstaufen II. 572. Ibid. p. 373. lin. 6. leg. R. (Rudolphus).

d) Insertum Heinrici IV. diploma perperam anno 1073. attributum, rectius, anno 1086. circ. finem mens. Martii assignatur et inter diplomata apographa exhibebitur.

DCLXXV.

Anno 1226. mense Aprili. apud Ravennam.

Fridericus II. imperator monasterium Sctorum Petri et Pauli in Wilzeburc, cum omnibus possessionibus eius, sub sua protectione recipit.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus. secundus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Jerusalem et Sicilie Rex. Impensis a domino beneficiis respondemus et ei gratiarum offerimus holocaustum, cum sacrosanctas Ecclesias et Monasteria deo dicata, fauore nostre gratie intuentes. eorum paci et quieti misericorditer prouidemus, et que tam a principibus quam a quibuslibet aliis ipsis sunt pie collata, Imperialis nostra serenitas ratihabitione confirmat. Inde est quod nos attendentes piam erga deum fidei ac deuotionis intentionem Peregrini venerabilis Abbatis et Conuentus Monasterii sanctorum Petri et Pauli in wilzeburc, fidelium nostrorum. considerantes nichilominus ipsius loci deo gratam et honestam religionem, quam cotidie de bono in melius crescere et in Christo proficere bene redolens attestatur opinio plurimorum, cum ab eo qui largitor est omnium Rex statutus vite beneficium, Imperii sceptrum et collata nobis eciam cetera cognoscamus, de innate nobis benignitatis gratia et obtentu retributionis eterne sed et pro remedio animarum felicium augustorum quondam progenitorum nostrorum diue recordationis. ad nostre quoque salutis et exaltationis augmentum. Monasterium ipsum Abbatem et Conuentum predictos cum omnibus bonis suis que in presenti iuste tenet et possidet, et que inantea iusto titulo poterit adipisci, clementer sub nostre maiestatis protectione recipimus per potentie nostre brachium benigno semper patrocinio confouendum. De habundantiori quoque gratia celsitudinis nostre qua loca religiosa benigne semper consueuimus intueri. omnia bona, possessiones et tenimenta

nimenta, que largitione predecessorum nostrorum felicium augustorum Romanorum Imperatorum seu Regum. uel aliorum quorumcumque oblatione fidelium eidem Monasterio a fundationis sue primordio sunt collata. prout ea omnia idem Monasterium ex tunc usque ad hec nostra felicia tempora iuste dignoscitur possidere, ipsi Monasterio concedimus et perpetuo confirmamus. Statuentes et presentis priuilegii auctoritate firmiter iniungentes. ut nulla omnino persona parua uel humilis, Ecclesiastica uel Secularis. iam dictum Monasterium de predictis omnibus contra huius protectionis. concessionis, et confirmationis nostre tenorem, impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis uindictam indignationem nostram et penam quinquaginta librarum auri se nouerit incursurum. medietatem camere nostre et alteram medietatem passis iniuriam persoluendam. Vt autem hec omnia rata semper et inconuulsa permaneant. presens priuilegium fieri et Sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Huius autem rei testes sunt. Albertus Magdeburgensis archiepiscopus.... episcopus Curensis et abbas sancti Galli. A. dux Saxonie. R. dux Spoleti. Comes C. de wasselburc. Comes G. de queureberc. Comes S. de vienna et alii quam plures.

Signum domini Friderici secundi dei gratia inuictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti. *(Monogramma.)* Jerusalem et Sicilie Regis.

Acta sunt hec anno dominice Incarnationis. Millesimo. Ducentesimo. vicessimo sexto. Mense Aprilis quartedecime Indictionis. Imperante domino nostro Friderico secundo dei gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Jerusalem et Sicilie Rege. Anno romani Imperii eius sexto. Regni Jerusalem primo. et Regni Sicilie vicesimo octauo, feliciter amen.

Datum aput Rauennam, Anno, Mense et Indictione prescriptis.

a) Sigilli fracti superest fragmentum maius, imaginem imperatoris, excepto capite, dimidiam etiam inscriptionem incipientem, exhi-

hibens, et cum minutioribus fragmentis fere in pulverem redactis panno linteo involutum appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Notae chronologicae omnes inter se concordant.

c) Editum in Jungs antiquit. monasterii in Wilzburg p. 5., in Schütz corp. histor. Brandenburg. sylloge sive IV. Abh. 66. num. 29. similiter ex insertione 173. n. 141. ac 260. n. 224. et in Falkenstein Tom. IV. Antiquit. Nordgav. sive Codice ad Antiq. Nord. 48. num. 31.

DCLXXVI.

Anno 1226. mense Maio finiente, in civitate Parma.

Fridericus II. imperator, qui monasterio Rotensi privilegium libertatis concesserat, defuncto Ratisponensi episcopo, Conrado (ultimo comite de Frantenhausen), postulante Friderio abbate, vacantem tunc advocatiam Conrado comiti de Wazzerburch committit.

a) Sigillum, in utraque ora dextra ac sinistra nec non in parte inferiori nonnihil laesum, appendet ex filis sericis subrubri et subflavi coloris.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt, inter quas tamen annus regni Siciliae numeratus est completus eodem mense; nam circa finem mensis Maii 1226. haec eadem peracta fuisse docemur partim ex aliis diplomatibus Parmae mensibus Maio ac Junio eodem anno datis, partim autem ex obitu Conradi IV. episcopi Ratisbon. in hoc diplomate memorato, qui contigit hocce anno 9. April, ex cuius obitu tunc vacabat advocatia monasterii Rotensis, fuitque gravissimae controversiae causa.

c) Editum, saltem ex alio exemplari, in Hund. metrop. III. edit.

Mon. 272. edit. Ratisb. 187. in Mon. Boic. I. 373. inter Monumenta Rotensia num. 18. Exemplar hocce nostrum authographum est alterum, quod Comiti de Wasserburch datum fuit, ab eoque in manus ducum Bavariae pervenit, a priori, quod monasterio Rotensi tradebatur, in minutioribus tantummodo differens, in cuius editione Mon. Boic. I. 375. lin. 25. leg. Hauehesperc.

d) Desideratur aliquoties diligentia scriptoris Itali, qui primam literam episcopi Wormatiensis per A loco H, agnomen autem comitis de Wazzerburc una vice per Wanzeburch, altera per Wallerpurc expressit, Mainradum etiam comitem de Gorze Maniardum legit.

DCLXXVII.

Anno 1226. 13. Novembr. Augustae.

Heinricus VII. rex monasterium Ursperc, cuius advocatiam, a patre suo Friderico I. imp. titulo pignoris obligatam, pecunia ducentarum marcarum a praeposito et fratribus eiusdem claustri persoluta, ex potestate Alberti de Niwenburc redemerat, sub sua et imperii perpetua protectione recipit, possessiones etiam eius et privilegia confirmat, ministerialibus quoque suis et imperii res ipsorum monasterio praedicto conferre, permittit, electionem denique sive potius petitionem defensoris fratribus eiusdem monasterii concedit.

In nomine. sancte. et. indiuidue. trinitatis. Heinricus dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. Omnibus qui sub nostra uiuunt ditione uolumus sicut condecet principis sublimitatem in suo iure assistere. Specialibus autem religiosa loca. et personas inibi regi celorum militantes. et deum pro nostra et aliorum prin-

cipum et populi Christiani salute et uictoria frequentius exorantes. tenemur confouere. et ipsis iura sua conseruare. et protectionis et confirmationis nostre virtute defendere. Quo circa notum fieri uolumus omnibus. tam nostris successoribus quam nostre excellentie iudicibus universis. et omnibus presentem paginam inspecturis. quod nos monasterium in Vrsperc cuius aduocatiam serenissimus princeps pater noster Fridericus dei gratia romanorum imperator et semper augustus pro necessitatibus imperii olim titulo pignoris obligauerat. redemimus de potestate nobilis viri. Alberti de Niwenburc. Pecunie quoque que soluta fuerat. prepositus et fratres claustri ducentas marcas persoluerunt. ut ulterius nulla tali oppressione uexentur. aut quolibet modo extra potestatem imperii alienentur. siue ipsi siue successores eorum. Qua propter nos clementer ipsorum precibus annuentes. ipsum locum cum personis et rebus ad eundem pertinentibus sub nostra protectione suscipimus. et ut in perpetuum sub culmine maiestatis imperialis consistat statuimus. nec in quemquam transferatur contra uoluntatem deo ibidem seruientium. Bona quoque que in presenti possident. aut in futurum sub nostra iurisdictione poterunt adipisci legitime. cum omnibus pertinenciis et legitimis. videlicet mancipiis. agris. cultis et incultis. viis et inviis. pascuis. nemoribus. aquis. et aquarum decursibus. molendinis. et piscationibus. et ceteris attinenciis confirmamus eisdem. Preterea que in priuilegiis antecessorum nostrorum siue annotationibus aut aliis scriptis dive recordationis proaui nostri imperatoris Friderici et regis Cvonradi in eadem ecclesia sunt statuta et hactenus obseruata. mandamus. et precipimus inviolata consistere. vt videlicet nullus iudex sev cuiuslibet potestatis homo presumat homines ipsorum temere distringere. aut contra ipsos de prediis ecclesie placitare. nisi coram nobis aut nuntio nostro specialiter ad hoc destinato. Liceat quoque ministerialibus imperii. siue ad nos pertinentibus de prediis suis siue aliis rebus conferre prefato monasterio. et hec ipsis fratribus nostra permissione. firma consistant. Adicimus etiam ut quilibet cui ad electionem fratrum committimus ut ipsos vice nostra defendat. et ivra nostra et ipsorum tueatur. si fuerit eis grauis aut dampnosus seu invtilis. cum hoc nostre in-

noluerit maiestati. ad petitionem fratrum alius defensor quem pecierint. ipsis concedatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et concessionis infringere. vel ei ausu temerario contraire. Quod siquis facere presumpserit. indignationem imperii romani et nostram se nouerit incurrisse. et uiolate pacis reus existat. Acta sunt hec presentibus et cooperantibus principibus. Venerabilibus in Christo Sifrido augustensi et Heinrico Eistetensi Episcopis. Ludewico quoque illustri duce Bawariae. Preterea Comitibus et baronibus. Hartmanno de dilingen. Chvonrado de Wirtenberc comitibus. Friderico de truhendingen. Heinrico de niphen. Alberone de wange. Eberhardo de Aichheim. baronibus. Ministerialibus quoque imperialis aule. Eberhardo dapifero de waltpurc. Cvonrado et Eberhardo fratribus de wintersten. Dietone de Aistegen. Swiggero de mindelberc. Bvrchardo de hohenburc. et aliis quam plurimis feliciter. A M E N.

Datum Auguste per manum Heinrici Constantiensis prepositi imperialis aule prothonotarii. Idibus Nouembris.

Indictione tercia decima. Anno domini M°. cc°. vicessimo sexto.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, disruptis quoque filis sericis rubri, flavi ac fusci coloris, quorum pars superior remansit membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio erronea posita est loco decimae quartae ordinariae, aut XV. caesareae; nam ad annum 1226. instrumentum hoc pertinere, certum est ex synchrono teste et oculato, Burchardo Biberacensi in historia Friderici I. edita à Christmann p. 167.

c) Editum in Lünig spicileg. eccles. III. Theil. 678. et à Christmann mox dicto in praefat. p. XXIX — XXXII in nota K. antea editum in Annal. Praemonstrat. II. probat. 707. omisso tamen anno.

d) Ex memoratis ab Heinrico VII. antecessorum suorum privilegiis unicum comparet Conradi II. an. 1143. 4. Sept. quod confrtur.

DCLXXVIII.

Anno 1226. mense Novembr. Fogiae.

Fridericus II. imperator monasterium Sti Heimerami (Emmerami), cum omnibus possessionibus eius, in specialem suam recipit protectionem.

Fridericus. dei gratia Romanorum Imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens scriptum Notum facimus vniuersis fidelibus nostris Imperii, tam presentibus quam futuris. quod nos ob reuerenciam Regis Regum per quem feliciter uiuimus et Regnamus, ad imitacionem quoque Imperatoris Henrici quondam patris nostri Recolende memorie. venerabilem abbatem Monasterii Sancti Heimeramij et fratres ejus ibidem altissimo famulantes cum omnibus possessionibus et bonis suis mobilibus et stabilibus que Juste tenent et possident. et inantea prestante domino Justo titulo poterunt adhipisci sub speciali protectione et defensione, nostre recipimus Maiestatis. Auctoritate presentis scripti sub pena gratie nostre precipientes firmiter vniuersis. quatinus nullus sit tam ausus, qui predictum abbatem. Monasterium et fratres eius contra huius nostre protectionis tenorem, in personis uel possessionibus et bonis suis que Juste tenent et possident. et inantea Justo titulo poterunt adhipisci, temere molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit, Indignationem nostri culminis. Se nouerit incursurum. Ad huius itaque protectionis et defensionis nostre memoriam et robur de cetero ualiturum presens scriptum fieri. et Sigillo maiestatis nostre Jussimus communiri.

Datum Fogie. anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo vicesimo Sexto. Mense Nouembris, Quintedecime Indictionis.

a) Sigillum in omni ora laesum appendet ex filis sericis flavi et nunc fusci coloris. Laesione praedicta pleraeque litterae inscriptionis per orbem scriptae evanuerunt. Sigillum ipsum a reliquis inde ab an. 1220. fine Novembris usitatis non differt, excepto novo titulo: Rex Jerusalem, qui areae e regione throni recens insculptus cernitur, a Friderico II. hoc eodem mense anni praeteriti 1225. post celebratas cum Jolanta, regni Jerosolymitani haerede, nuptias, assumtus. cnfr. Raumer Hohenstaufen III. 396.

b) Indictio, quae caesarea dicitur, respondet anno Chr. indicato 1226.

c) Editum in libro Probationum Scti Emmerami 162. num. 64. Simile privilegium patris sui, Heinrici VI. imp., nusquam comparet.

DCLXXIX.

Anno 1226. 27. Novembr. apud Herbipolim.

Heinricus VII. rex, ad petitionem Sifridi archiepiscopi Moguntini et ex consilio principum suorum, statuit: ut homines archiepiscopi praedicti, qui se in oppidum regium Oppinheim receperunt, eidem reddentur et ulterius ibidem non colligantur; rescindit etiam confoederationes, quibus se civitates Moguntia, Pinguia, Wormatia, Spira, Frankinvort, Geilinhusen et Fridiberc, in praeiudicium ecclesiae Moguntinensis invicem obligarunt.

H. dej gratia. Romanorum Rex et semper Augustus. Vniuersis huius scripti seriem inspecturis gratiam suam et omne bonum. Regie majestatis dignatio semper consueuit occurrere petentium iustis uotis. Quapropter ad instantiam venerabilis et dilecti principis nostri domini S. (Sifridi) Archiepiscopi Maguntini conquerentis. sibi esse onerosum plurimum et dampnosum. quod ex hominibus suis quidam in nostro se oppido Oppinheim receperunt.

communicato consilio dilectorum nostrorum principum qui sollempni nostre curie Wirceburc magnifice affuerunt. statuimus. ut ministeriales. Burgenses. siue quicumque alii homines quouis iure prefato Archiepiscopo attinentes. cum omnj integritate reddantur eidem. et nullj ex hominibus ejus ultra in predicto opido colligantur. Volumus etiam confederationes siue iuramenta quibus se ciuitates Maguntia. Pinguia. Wormatia. Spirea. Frankinuort. Geilinhusin. Fridiberc. in preiuditium ecclesie Maguntinensis inuicem obligarunt. rescindj penitus et in irritum reuocarj. Quod ut ratum et inuiolabile obseruetur. paginam istam nostro sigillo fecimus roborarj. Cuius facti testes sunt. Theodericus Treuerensis. Henricus Coloniensis. Archiepiscopi. Hermannus Herbipolensis. Bertoldus Argentinensis. Sifridus Augustensis. Henricus Eistetensis. Henricus Wormatiensis. Engilhardus Nuwinburgensis.... Basiliensis Episcopi. Cunradus Fuldensis. Ludewicus Hersfeldensis. Cunradus Laurensis. Abbates regales. Laicj. Ludewicus palatinus Comes Reni et dux Bauwarie Ludewicus lantgrauius Thuringie et alii quam plures tam seculares quam ecclesiastice persone. Acta sunt hec apud Herbipolim anno dominice Incarnationis M°. cc°. xxvi°. v°. Kal. Decembris. pontificatus nostrj anno xxvj°.

a) Sigillum, bene expressum et conservatum, appendet ex fragmento coriaceo.

b) Indictio omissa est, annus autem pontificatus ad Sigfridum II. archiepiscopum Mogunt. referendus convenit anno Chr. indicato; praefuit enim ab an. 1200 usque ad an. 1230.

c) Editum in de Gudenus Cod. dipl. I. 493. n. 189., ubi tamen omissa sunt ultima verba: pontificatus etc. et spatio vacuo interpositus Heinricus Basiliens. episc. Memoratur in Joannis rerum Mogunt. Vol. I. 592. n. 4.

DCLXXX.

DCLXXX.

Anno 1227. 20. Mart. apud Augustam.

Heinricus VII. rex monasterio Steingaden proprietatem duorum mansorum in villa Widergeltingen, quod olim dux Welfo illi tradiderat, et ius feudi in eisdem mansis, quod duo fratres de Dachsperc pro LXX. marcis argenti regi nunc resignabant, confirmat et confert.

a) Sigillum, in parte superiori laesum, qua laesione caput regis cum initio ac fine inscriptionis evanuit, appendet ex quatuor funiculis sericis, quorum bina ex filis viridis, albi et rubri coloris, alia bina ex filis rubri solum et albi coloris contexta sunt.

b) Annus non expressus per Indictionem satis indicatur.

c) Editum in Mon. Boic. VI. 517. num. 29. ubi p. 518. lin. 21. leg. Walpurc. Rauinspurc. lin. 22. leg. Svmerowe.

DCLXXXI.

Anno 1227. 25. April. apud Wormatiam.

Heinricus VII. rex abbatissae et conventui inferioris monasterii in Ratispona permittit, ut unum de pueris Jordani de Lengenvelt, ad ipsarum monasterium spectantibus, comiti Heinrico de Ortenberc possint tradere.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus dilectis Sibi Venerabili abbatisse totique conuentui inferioris Monasterii in

Ratispona Gratiam suam et omne bonum. Supplicauit nobis dilectus noster Jordanus de lengenvelt ut nostra serennitas dignaretur prudentie uestre indulgere quod unum de pueris suis uestro monasterio attinentibus Comiti H. de orttenberc contradere deberetis. quod utique permittimus. Volumus et affectuosissime uos rogamus. quatenus prout a uobis petiuerit predictus J. vnum filium de pueris suis prelibato comiti conferatis ratione hereditaria possidendum. Ad huius itaque permissionis nostre (testimonium) presens ei scriptum indulsimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum apud Wormaciam VII. Kal. Maii. Indictione XV.

a) Sigillum, cum complicatura membranae inferiori, cui necessario annexum sive appensum erat, resectum est ac periit.

b) H. sive Heinricus comes de Ortenburg coaevus Heinrico VII. regi ac Indictio denotant annum Ch. 1227.

c) Ineditum.

DCLXXXII.

Anno 1227. mense Julio. Melfiae.

Fridericus II. imperator, ad preces Sifridi Ratisponensis episcopi et ex consilio principum sibi tunc adstantium, revocat omnes alienationes, per Gotfridum praepositum, quondam in episcopatum Ratisponensem intrusum, in praeiudicium eiusdem ecclesiae factas; non obstante aliqua concessione per regem Heinricum VII., filium suum, dolose obtenta.

FR. dei gratia Romanorum Imperator semper augustus. Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens scriptum notum facimus uniuer-

sis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. quod accedens ad presentiam nostram. S. venerabilis Ratisponensis Episcopus dilectus princeps noster exposuit celsitudini nostre qualiter . . prepositus. quondam in Ratisponensem Episcopatum intrusus, bona ipsius ecclesie enormiter et iuxta motum proprie uoluntatis. infeudauit. obligauit. et multis aliis modis distribuit et distraxit. in euidens ipsius ecclesie detrimentum. alias redditus et prouentus eiusdem Ratisponensis ecclesie. in usus proprios consumendo. et supplicauit nobis idem Episcopus. ut indempnitati sue ecclesie nostra super hoc dignaretur serenitas prouidere. Nos autem quia tenemur juri. et indempnitatj ecclesiarum Imperij nostri salubriter et clementer adesse. habito super hoc diligenti consilio cum venerabili Babinbergensi episcopo dilecto principe nostro. et aliis fidelibus nostris imperii tunc in curia nostra presentibus. et nobiscum assidentibus in negotio supradicto. de consilio et prouisione ipsorum, quicquid per supradictum intrusum factum esse dignoscitur. duximus sententialiter irritandum. reuocantes omnino infeudationes. obligationes. distributiones. et distractiones. quaslibet factas per intrusum de bonis ecclesie memorate. ut omnia libere cedere. et redire debeant in usus. et potestatem Ratisponensis ecclesie. et episcopi supradicti cum fructibus medio tempore perceptis et percipiendis. et ut etiam prefatus intrusus. memorato Episcopo restituat quicquid de prouentibus Ratisponensis ecclesie in usus proprios noscitur expendisse. non obstante concessione aliqua per Regem henricum Karissimum filium nostrum predicto intruso exinde facta. cum idem Romanus Rex filius noster dolose in hoc circumuentus fuisse noscatur. et appelatio ad audientiam nostre Maiestatis precesserit. qua pendente nichil de iure poterat innouarj. Mandamus igitur et firmiter inhibemus. quatenus nullus sit qui contra hanc irritationis. et reuocationis nostre sententiam presumat temere obuiare. quod qui presumserit. indignationem nostri culminis se nouerit incursurum. Ad cuius rei memoriam presens scriptum fieri fecimus. Sigillo Maiestatis nostre munitum. Datum Melfie. anno dominice Incarnationis Millesimo. ducentesimo vicesimo Septimo. Mense Julij. Quintedecime Indictionis.

a) Sigillum illaesum appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio respondet anno expresso.

c) Editum in Mayeri codice statutorum ineditorum II. 39. et in Ried cod. dipl. Ratisb. I. 351. n. 369. cnfr. ibid. 349. 353. sq. num. 367. 371. et 372., ubi alia documenta occurrunt super eodem Gotfrido praeposito Ratisb., similiter cnfr. Mayer l. c. 82. in catalogo praepositorum Ratisb.

DCLXXXIII.

Anno 1227. 17. Julii. apud Werdam.

Heinricus VII. rex Hartmanno comiti de Dilingen in rectum feudum concedit advocatiam claustri de Herbrehtingen, a Gotefrido de Wolfach resignatam; omne quoque patrimonium in Ebermaringen et Hverwin eidem comiti confirmat, traditum ei a praedicto Gotefrido.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. vniuersis Imperii fidelibus hanc literam inspecturis. gratiam suam et omne bonum. Decet ea que consilio prudentum uirorum fiunt et pie peraguntur. ne prolixitate temporis a memoria cadant. litterarum testimonio perhennare. Qua de re Nouerint tam presentes quam futuri. quod Gotefridus de wolfach coram nobis et principibus constitutus. aduocatiam claustrj de herbrehtingen. cum omnibus suis pertinentiis que suis usibus seruiebant. in manus nostras resignauit et contradidit. et ad peticionem suam dilecto fideli nostro Comiti Hartmanno de dilingen in rectum feudum aduocatiam concessimus prelibatam. Ad hec omne patrimonium quod habebat apud Ebermaeringen et Hverwin. prenominatus G. prefato comiti. contradidit et donauit in proprietatem Rectam libere tenendam et

perpetuo possidendam. Statuimus igitur et sub interminatione gratie nostre districte precipimus. ut nullus sit qui predictum comitem in proprietate aut feudo prenotatis impedire audeat uel dampnum in ipsis aut grauamen aliquod irrogare. Testes hii sunt. Lvdewicus Dux bawarie palatinus comes Reni. Luipoldus dux Austrie et Stirie. Otto filius ducis bawarie. Heinricus filius ducis Austrie. C. Burcgrauius de Nvorenberc. Comes Hartmannus de Wirttenberc. et Comes C. filius suus Comes Rupertus de Castello. Comes B. de Greispach et Heinricus filius suus. Fridericus de truhendingen. Comes C. de Ottingen. Wittegowi senior et junior de Albecke. Albertus de Hurneheim et ambo filii patrui sui. Waltherus de Veimingen. et Marquardus Hagelarius. E. dapifer de Walpurc C. et E. pincerne de Winterstetin et alii quam plures. Datum apud Werdam xvi. Kalendas Augusti Indictione xv.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere autem fila serica, seu potius funiculi serici rubri coloris membranae inferius complicatae innexi.

b) Membrana ipsa panno recens adglutinata conspicitur.

c) Annus non expressus per indictionem manifestatur.

d) Editum a Braun in der Gesch. der Grafen von Dilingen. Anhang 98. num. 1.

e) Desumtum ex Archivo Dilingano episcopi Augustani.

DCLXXXIV.

Anno 1227. 18. Septembr. apud Onoluesbac.

Heinricus VII. rex monasterium Halsburnen (Heilsbrunn) in specialem recipiens protectionem, ei interdicit, ne cuidam ex parte sua equum praestet, nisi in speciali expeditione sua per Buttigularium suum de Nurinberc ab ipso requirendum.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. vniuersis Imperii fidelibus presens scriptum intuentibus in perpetuum. Ex insinuatione presentium ad noticiam vniuersorum uolumus peruenire. quod attendentes dilectorum nostrorum fidelitatem abbatis et conventus in Halsburnen. ac deuota obsequia que progenitoribus nostris ac nobis exhibuerunt. et exhibent incessanter. ipsos in personis et Rebus ipsorum in nostram specialem recepimus protectionem. auctoritate Regia firmissime inhibentes. ne quis ausu ductus temerario. ipsis. in personis aut Rebus. grauamen uel iniuriam inferre presumat. quod qui attemptauerit grauem offensam nostre celsitudinis se nouerit incurrisse. Preterea memorato abbati et suo conuentui districte et auctoritate presentium inhibemus. ne alicui siue sit de familia nostre curie siue non. deferenti nostras litteras. et impetranti ex parte nostra equum. exhibere uel conferre presumant eidem. nisi in speciali nostra expeditione per Buttigularium nostrum de Nurinberc ab ipsis duxerimus requirendum. et ne super premissis ab aliquo inposterum possent uexari. presentem paginam. sigilli nostri patrocinio communitam. iussimus prelibato abbati et suo conuentui exhiberi.

Datum apud Onoluesbahc. anno dominice Incarnationis Millesimo C°C°. XXVII°. Quartodecimo Kal. Octobris. Indictione prima.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, remanente filorum sericorum purpurei et albi coloris superiori extremitate.

b) Indictio, dicta caesarea, sed diebus sex anticipata, respondet anno Chr. expresso.

c) Editum in Wölkern Historia Diplomat. Norimb. II. 57. num. 7., in Hocker Heilsbronn. Antiquitäten-Schatz II. 113. num. 3. in Falkenstein Cod. Diplom. Antiq. Nordgav. 49. num. 32. et in Schütz corp. hist. Brandenburg. sylloge 67. num. 30.

DCLXXXV.

Anno 1227. 21. Septembr. apud Wimpinam.

Heinricus VII. rex civibus Ratisponensibus nunciat, solemnes nundinas circa festum omnium Sanctorum in civitate Herbipolensi annuatim fore peragendas, eosque invitat, ut sub suo conductu et speciali protectione ad easdem veniant, eo iure et libertate fruituri, quibus de sua gratia gaudent nundinae suae apud Franchenfurt et Werde.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus fidelibus suis. aduocatis. Scultetis. et uniuersis Ciuibus Ratisponensibus. Gratiam suam. et omne bonum. fidelitati uestre duximus intimandum. dilectum Principem nostrum Hermannum. venerabilem herbipolensem Episcopum de nostra permissione et bona uoluntate. sollempnes nundinas. circa festum omnium sanctorum in ciuitate herbipolensi. publice indixisse. annuatim omnibus frequentandas. proinde est quod mandamus fidelitati uestre firmiter certificando quatinus ad memoratas nundinas. sub nostro securo conductu. et protectione speciali. ueniatis. et recedatis. eo iure et libertate. ue-

lut omnibus nundinas nostras apud Franchenfurt et werde exercentibus dinoscimur. de nostra gratia. contulisse. Preterea noueritis quod omne judicium et libertatem. quemadmodum in aliis nundinis nostris habere dinoscimini. uobis et comiti uestro in antedictis nundinis. conferimus de gratia nostre celsitudinis. et ad instantiam et consensum Episcopi prelibati. Vt autem hec nostra concessio et Indulgentia libertatis. robur firmitatis obtineat in perpetuum. presentem literam scribi fecimus. et sigillo nostre celsitudinis communiri.

Datum apud winpinam. Anno dominice Incarnationis. Millesimo. CC°. XX°. septimo. vndecimo Kal. Octobris Indictione prima.

a) Sigillum, quod appendet ex segmento membranaceo, fractum est in plures partes. Reliquis partibus deperditis duo, quae supersunt, fragmenta totam fere imaginem regis, excepta manu eius dextra, et aliquas saltem inscriptionis litteras exhibent.

b) Indictio, quae caesarea dicitur, hic tribus anticipata diebus, respondet anno Chr. notato.

c) Ineditum saltem in lingua originali. Nam versio huius instrumenti Germanica impressa habetur in Lünig spicileg. eccles. II. Theil. p. 947.

DCLXXXVI.

DCLXXXVI.

Anno 1227. 10. Octob. apud Augustam.

Heinricus VII. rex abbati Faucensi eiusque successoribus indulget sedationes rixarum inter rusticos et mansarios monasterii eiusdem et exactionem reddituum, absque praeposito regio, nisi propter contumaciam hominum eorundem aut magnitudinem facti advocandus esset.

Heinricus. Septimus. Divina. Favente. Clementia. Romanorum. Rex. Semper. Augustus. Cum omnes petitiones Religiosorum Virorum libenti animo velimus exaudire. justas tamen ipsorum preces nobis porrectas. tanto promptius tenemur admittere. quanto magis Salutem anime Orationibus ipsorum apud Deum credimus aucmentari. Hinc est quod significante Nobis R. Abbate Monasterii Faucensis intelleximus. quod quandoque rixe inter homines. rusticos. sive Mansarios. et servientes ejusdem Monasterii oriuntur. quas idem Abbas vel quilibet Successor suus aut pena pecuniaria vel Corporali Castigatione. de facili posset sedare. corrigere et emendare. preterea significavit Idem Abbas quod à Mansariis dicti Monasterii redditus possessionum suarum de facili exigere valeret. sed sine Preposito de Schonengov exigere non audet nec rixas emendare. quod in grave dampnum eidem Monasterio non est dubium evenire. unde sepedictus Abbas Nostre celsitudini humiliter supplicavit. quatenus emendationes Servorum suorum seu sedationes rixarum inter homines. rusticos. et Mansarios ejusdem Monasterii et exactionem reddituum possessionum suarum sibi dignaremur indulgere. Nos igitur precibus suis annuentes eidem Abbati et omnibus Successoribus suis sedationes rixarum cum sanguinis. effusione vel sine sanguinis effusione. factarum et emendationem Servorum et exactionem reddituum suorum in perpetuum duximus indulgendum. nisi forte Defensorem

DCLXXXVIII.

Anno 1228. 6. Septembr. apud Nurdelinge.

Heinricus VII. rex monasterio Waltsassen quinque iugera vinearum in loco Bachlait, iuxta villam Eduggesvelt donat.

H. Dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. vniversis Imperii fidelibus. quibus hec litere ostense fuerint. gratiam suam. et omne bonum. Quia deo autore stransitoriis (transitoriis) opibus vndique stipamur. et fascibus terrenis. per omnia fulcimur. Decrevimus juxta apostoli vocem. vera pro falsis. eterna pro caducis. sempiterna pro terrenis commutare. et aliqua illarum opum. pro mercede vite eterne. in opus dei destinare. Sciant igitur tam moderni quam futuri quod ob Remedium anime nostre et parentum nostrorum. quinque iugera vinearum in loco que (qui) dicitur bachlait. iuxta villam Eduggesfelt. beate marie semper Virgini. seruisque dei in Waltsassen degentibus libere et quiete omni exactione semota dedimus possidenda. Et ne inposterum hec donacio possit annichilari. sigilli nostri inpressione firmiter Roboravimus. His testibus. venerabili Hermanno erbipolensi episcopo. illustri duce bawarie ludewico. Illvstri duce. lupoldo austrie. Domino gerlaco de butinge. Dapifero de waltbur. pincerna de winterstede. Domino lupoldo de grintela et fratre eius. Domino Hertwico magistro cocorum. Datum apud Nurdelinge. viii. Idus sempebr. (Septembris) Indictione prima.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere tamen fila serica rubri, viridis ac purpurei coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Annus non est expressus. Currens autem adhuc ordinaria indictio annum Ch. 1228. designat, quem confirmat aliud diploma hu-

ius regis apud Nordelingen postridie eiusdem diei, anno 1228. expresso, expressa etiam eadem indictione prima, datum. vid. Besold Documenta Wirtemberg. 731. et Crusius ibi laudatus.

c) Ineditum.

DCLXXXIX.

Anno 1228. absque loco ac die.

Heinricus VII. rex, ad petitionem Cuonradi abbatis in Keisheim, iure advocati adprobat et confirmat concambium, quo Walcuonus plebanus de Horburc praedicto abbati et eius monasterio silvam, Ger dictam, pro dote quadam, ad ecclesiam Horburc spectante, tradidit.

(Chrismon.) Heinricus dei gratia Romanorum rex. et semper augustus. uniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris imperpetuum. Religiosi pauperes Christi qui non armis actualibus contra hostes uisibiles dimicant. uerum aduersus aerias potestates die noctuque uiriliter decertant. et pro statu totius ecclesie precibus indefessis incessanter exorant. neccesse habent ut ad res temporales in suis contractibus muniantur. et ad excludendas futuri temporis insidias. auctoritatem Regiae maiestatis efficaciter sortiantur. Quia igitur aecclesiam in Keisheim pro religione sui specialius diligimus. eidem in suis negotiis et contractibus omnimodam securitatem et pacem desideratam procuramus. Innotescat itaque tam presentibus quam futuris quod petitionem uenerabilis Cuonradi abbatis in Keisheim regali clementia clementer exaudimus. et concambium illud atque commutationem, qua walcuonus plebanus in horburc predicto abbati. C. et suo conuentui siluam que uulgo ger dicitur cum dote paruula aecclesiae horburc

attinente mediantibus et adtestantibus ministerialibus nostris commutavit jure aduocati adprobamus. et ratam habemus. et ad subruendas in posterum calumpniose impetitionis molestias uniuersas. presentem eis paginam pro securitate et quiete conscribi iussimus quam etiam nostri appositione sigilli. perpetuo ualituram communimus. Acta sunt hec dominicae incarnationis anno. M. cc. xx. viii. Testes huius rei sunt. hartmannus comes de dillingen. Berhtoldus. comes de lechesgemunde et filius eius heinricus. fridericus de truhendingin. et filius eius. Eberhardus de walburc dapifer. Cunradus pincerna de winterstetin. Marquardus notarius imperii. Vlricus. et Cunradus fratres de werde. Sifridus. castelin. heinricus de Brunnese. Ruodolfus de clinginstene Regilo de altoluesheim et alii quam plures.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, disruptis etiam filis sericis, quorum pars superior remansit membranae innexa; fila autem sunt rubri, viridis et albi coloris.

b) Dies et locus non sunt expressi, omissa quoque est indictio.

c) Ineditum, memoratum tamen in c. de Reisach Geschichte der Grafen von Lechsgemünde 39, ex cuius fide etiam lectum est nomen testis: Heinrici de Brunnese, quod in autographo minus distincte scriptum invenitur.

DCXC.

Anno 1230. mense Aprili. apud Fogiam.

Fridericus II. imperator privilegia monasterii Tegernseensis confirmat, inserto patris sui, Heinrici VI. imp., privilegio anni 1193. 18. Maii.

a) Praeter apographum manu coaeva membranae inscriptum, adsunt duo instrumenta autographa. Primo horum sigillum consue-

tum, in ora inferiori ac dextra nonnihil laesum, appendet ex filis sericis flavi ac rubri coloris. alteri eorum appensa erat bulla aurea, in ipso instrumento memorata, quae tamen vi abstracta est ac periit, remauentibus solum filis sericis varii coloris, nimirum flavi ac rubri, ut in priori instrumento. Membrana quoque et typus litterarum vix aut parum differunt in utroque autographo.

b) Differentia tamen ad finem instrumenti ac in testibus quaedam observanda est (signo. indicata). Nam primo loco, iam paulo ante memorato, in altero instrumento legitur: „Bulla aurea typario nostre maiestatis impressa;" in priori instrumento: „Sigillo maiestatis nostre; secundo loco testis Chunradus Indicensis praepositus in altero instrumento omissus est, ex negligentia utique scriptoris; tertio loco testis Chunradus de Hohenloch in altero instrumento scriptus est: Cunradus de Oenloch comes etc.

c) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

d) Editum in Hund. metrop. III. Edit. Mon. 396. 400. edit. Rat. 273. ex priori instrumento, et in Mon. Boic. VI. 205. num. 36. ex altero instrumento, ubi praeter iam dicta emendanda sunt: p. 206. lin. 13. leg. Steinr. (Heinricus) Pattauiensis prepositus; lin. 16. leg. Pecka; lin. 18. deleatur H.; lin. 21. addatur: (Monogramma).

DCXCI.

Anno 1230. mense Aprili. Fogiae.

Fridericus II. imperator monasterio Buorensi (Benedictbeurn) privilegium avi sui, Friderici I. imp. anni 1155. 15. Maii inserendo renovat et confirmat.

a) Sigillum fractum in plures partes, partibus residuis ope glutinis recens inter se connexis, figurae mediae partem maiorem et dempto capite fere totam exhibet atque appendet ex filis sericis flavi, rubri et albi coloris.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Editum in Meichelbeck chronico Benedictobur. I. 113. in Mon. Boic. VII. 116. num. 29. ubi p. 118. lin. 6. leg. Romaniole; lin. 7. leg. Solzpurch; lin. 9. addatur: (Monogramma).

d) Adest etiam exemplar coaevum, nullo munitum sigillo, minus, ut videtur, correctum ac propterea reiectum.

DCXCII.

Anno 1230. 13. Julii. apud Wizinburc.

Heinricus VII. rex sententiam promulgat, ab abbate de Wilzeburc coram se obtentam: ut bona in Ruderen eius monasterio ratione obligationis debeant deservire.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. vniuersis Imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa. Gratiam suam

suam et omne bonum. Laudabilis est scripture custodia. emergentibus enim occurrit calumpniis. et gestarum rerum seriem. nuda loquitur ueritate. Meminerint igitur praesentes et noscant futuri. quod constitutus coram nobis peregrinus. abbas de wilzeburc. obtinuit bona Ruderen et uniuersa appendicia eius. sicut edixit iuris ordo. ut racione obligacionis prelibato cenobio debeant subseruire. Mandamus itaque per gratiam nostram firmissime precipientes ut nullus sit. qui prelibatum Abbatem in bonis coram nobis rationabiliter obtentis. audeat impedire. aut dampnum aliquod irrogare. Quod qui fecerit. grauissimam iram nostram senciet et offensam. vt autem premissa perpetuam teneant firmitatem. presentem litteram sigillo nostro communitam. ipsi cenobio fecimus exhiberi. Testes hii sunt. Gotfridus de Hohinloch. vlricus de Spileberc. H. de Salach. fratres de Grindelach. Rinsmul. et alii quam plures.

Datum apud wizinburc. Anno incarnacionis domini M. CC. XXX. III. Idus Julii. Indictione III[a].

a) Sigillum, in omni ora valde laesum, integra tamen remanente regis imagine, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Indictio respondet anno Ch. expresso.

c) Editum in Schütz corp. histor. Brandenburg. Sylloge 70. num. 32.

DCXCIII.

Anno 1230. exeunte Julio potius, quam mense Augusto. apud Sctum Germanum.

Fridericus II. imperator, petente Eberhardo archiepiscopo Salzburgensi, instrumentum donationis eius sibi oblatum adprobat et confirmat, quo idem archiepiscopus cavit, ne advocatia possessionum capituli ipsius in Halle, Pettingen, Saldorf, Kiemkev et Svndergut, tunc vacans, porro ad manum alienam, praeter manus archiepiscoporum, transferatur.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et Indiuidue Trinitatis. Fridericus secundus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Si diuine maiestatis intuitu per quam feliciter imperamus. ecclesiarum saluti et commodo pia prouisione consulimus. celsitudinis nostre titulos ampliamus. et celestium beneficiorum memores quibus affluimus de premio retributionis eterne firmam spem et fiduciam optinemus. Ea propter vniuersis Imperij nostri fidelibus tam presentibus quam futuris. volumus esse notum quod Eberhardus venerabilis Salzburgensis Archiepiscopus Dilectus princeps noster. coram eminentie nostrae presentia constitutus. exposuit. quod cum aduocatia possessionum Capituli sui. in Halle. Pettingen. Saldorf. Kiemkev. et Svndergvt cum suis pertinentiis uacare ceperit. ne per aduocatorum malitiam. ecclesie sue Capitulum sicut hactenus bonorum suorum dispendiumq aut iacturam incurreret. iure infeudandi quod ad eum spectabat renunciauit. ut eandem aduocatiam ipse ac successores sui semper in manibus suis retineant. nec ad manum transferant alienam. et super eo confici fecit publicum instrumentum. Propter quod nostre celsitudini suplicauit. ut instrumentum donationis huiusmodi capitulo suo indultum et ea que continentur in

ipso confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur attendentes ipsius Archiepiscopi gratam et laudabilem fidem et sinceram obsequiorum suorum instantiam. quibus excellentie nostre assidue placere curauit. considerantes etiam ex hoc ecclesie sue utilitates multiplices et profectus. quod super hoc ab eodem Archiepiscopo prouide factum est. sicut in eisdem Litteris inde confectis plenius continetur. de speciali munificentie nostre gratia perpetuo confirmamus. Statuimus igitur et Imperialj Sanccimus edicto. quatenus amodo nulla persona sit alta uel humilis. ecclesiastica seu mundana. que contra presentem confirmationem nostram. ullo unquam tempore uenire presumat. Quod qui presumpserit. preter indignationem nostram. centum libras Auri conponat. medietatem Camere nostre. reliquam passis iniuriam soluturus. Ad huius itaque nostre confirmationis memoriam. et ut hec omnia rata semper et illibata permaneant. presens inde priuilegium fieri fecimus. et sigillo nostro iussimus communiri. Testes sunt huius rei. Sifridus Ratisponensis Episcopus. Karolus Secowensis Episcopus. Liupoldus Dux Austrie et Stirie. Bernhardus. Carinthie. Otto Meranie Duces. Rapoto comes Palatinus Bauuarie. Heinricus frater eius comes de Ortenburc. Chuno de Weruen. Gerhohus de Salzburc. Ulricus. et alii quam plures.

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum Imperatoris. semper Augusti Jherusalem et Sicilie Regis. *(Monogramma.)*

Acta sunt hec apud Sanctum germanum Anno domini M⁰. cc⁰. xxx⁰. Mense Augusto Indictione. III^a. Imperante domino nostro Friderico dei gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto. Jerusalem et Sicilie Rege. Imperii eius Anno. x⁰. Regni Jerusalem. v⁰. et Sicilie Anno. xxx⁰iij⁰. feliciter. Amen.

a) Sigillum, in ora inferiori nonnihil laesum, appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.

b) Dux Austriae et Stiriae, Leopoldus gloriosus, durante negotio pacis inter Gregorium IX. Papam et Fridericum II. Imperatorem,

apud Sctum Germanum tunc tractato, obiit in eadem urbe 28. Julii hoc anno 1230. Qui cum in hoc instrumento primus inter laicos principes testis nominetur, tempus peracti negotii confirmationis huius potius ad quosdam dies ante obitum eius nos cogit referre, id est inter IX. et V. Kalendas Augusti, quam ad ipsum mensem Augustum. Cnfr. Raumer Hohenstaufen II. 573. et III. 456 — 458. Caeterum notae chronologicae omnes in anno Chr. 1230. exeunte mense Julio sibi concordant.

c) Editum in Lünig spicileg. eccles. continuat. III. sive operis tom. XXI. 768. et in Hansiz German. Sacr. II. 531.

d) Desumtum ex archivo comitum de Ortenburg.

DCXCIV.

Anno 1230. fine mensis Septembris. Anagniae.

Fridericus II. imperator civibus Ratisponensibus indulget, ut per sex annos theloneum exigere in civitate illa possint, ad munitionem et robur civitatis fideliter deputandum.

Fridericus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Cum ad fidelium deuotionem benigne dirigimus aciem mentis nostre. ac eorum profectibus intendimus diligenter, augetur in eis deuotio fidei. et tam ipsos quam alios ad seruiendum fidelius, per liberalitatis exemplum feruentius inuitamus. Inde est quod notum fieri uolumus uniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. quod nos attendentes puram fidem et deuotionem sinceram quam ciues Ratisponenses erga Imperium et nos semper habuerunt considerantes quoque fidelia et grata seruitia que pro honore et exaltatione Imperii atque nostra exhibuerunt diutius et exhibere poterunt in posterum gra-

tiora. uolentes ciuitatem ipsam gratia et beneficiis nostre celsitudinis ampliare. de immensa liberalitatis nostre gratia concedimus eisdem ciuibus statuere theloneum conueniens de consilio episcopi in Ciuitate ad munitionem et robur ciuitatis fideliter deputandum eoque prefatos ciues per sex annos a tempore recepti priuilegii nullius contradictione obstante uti uolumus pacifice et quiete. Ad cuius rei memoriam presens scriptum fieri fecimus sigillo nostre maiestatis munitum.

Data Anagnie. Anno dominice Incarnationis Millesimo Ducentesimo Tricesimo. Mense Septembris quarte Indictionis.

a) Sigilli, magnopere laesi, frustillum appendet ex segmento membranaceo, imaginis mediae quasdam partes exhibens, à mento sive maxilla capitis usque ad genu dextrum imperatoris cum tota manu eius dextra tenente sceptrum, cumque area adiacente, in qua praeter sedilis partem etiam ultima mediae inscriptionis littera: X. adhuc conspicitur.

b) Indictio, quae caesarea dicitur, et à 24ta. Septembris incipiens ordinariam indictionem tribus saltem mensibus antevertit, convenit cum anno Chr, expresso.

c) Ineditum, memoratum tamen et extractum à Gemeiner in der Regensburgischen Chronik I. 327.

DCXCV.

Anno 1230. 26. Novembr. apud Spiegilberc.

Heinricus VII. rex monasterio Waltsassen omnes venas et fossata auri vel argenti vel alterius metalli in bonis et fundo ipsius ecclesiae concedit.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. vniuersis Imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa. gratiam suam

et omne bonum. Quociens a nostra serenitate petitur quod iustum est et honestum tam uigor equitatis quam ordo postulat rationis ut id ipsum sereno uultu admittamus petentum desideriis benignius annuentes. Meminerit igitur presens etas et futura. quod nos attendentes deuocionem dilectorum nostrorum conuentus de Waltsassin. ipsi conuentui concessimus et indulssimus omnes uenas. et fossata auri uel argenti uel alterius metalli in bonis et fundo ipsius ecclesie ad usus ipsius redigendas et conseruandas pleno iure. ita ut de premissis liberam ordinandi habeat facultatem. Mandantes et sub interminatione gratie nostre firmissime precipientes. ut nullus sit qui prelibatum conuentum in premissa gratia et libertate ipsi indulta a nostra serenitate impedire audeat uel grauare. Quod qui fecerit. grauissimam iram nostram senciet et offensam. Huius concessionis et libertatis sunt testes. Abbas sancti Galli. Dux Meranie. H. de Niffin A de Justingin. C. de Hohinloch. C. pincerna de Clinginburc. et alii quam plures. Acta sunt hec apud Spiegilberc. anno incarnationis domini Millesimo Ducentesimo. Tricessimo (tricesimo). VI. Kalendas Decembris Indictione. IIII^{ta}.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere tantum fila serica viridis coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio, quae caesarea dicitur, convenit cum anno Ch. indicato 1230.

c) Ineditum.

DCXCVI.

Anno 1231. 23. Januar. Apud Wormatiam.

Heinricus VII. rex sententiam principum tunc in solemni curia Wormatiensi latam, promulgat, qua deciditur: quod nulla civitas aut oppidum communiones, confoederationes aut quascumque coniurationes facere possint, et quod nec rex sine domini civitatum aut oppidorum consensu, nec dominus sine regiae maiestatis assensu eiusmodi licentiam concedere potuerint.

Heinricus dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus Vniuersis imperii Fidelibus gratiam suam et omne bonum. Notum esse volumus vniuersis, quod nobis aput wormaciam Curiam sollempnem celebrantibus in nostra presencia fuit petitum diffiniri. vtrum ciuitas aliqua vel oppidum in Regni nostro constitutum, Commvniones, Constituciones. colligaciones sev coniuraciones aliquas quibuscumque nominibus appellentur facere possent vel ordinare. Super quo principes nostros et ceteros proceres sacri palacii monvimus tamquam qui vniuersis sumus in iusticia debitores. Ipsi igitur sentencialiter pronunciando diffinierunt, quod nulla civitas, nullum oppidum, commvniones, constituciones colligaciones, confederaciones vel coniuraciones aliquas quocumque nomine censeantur facere possent, eas penitus abiudicantes, et quod nos sine domini sui assensu, civitatibus seu oppidis in regno nostro constitutis, auctoritatem faciendi commvniones, constituciones colligaciones confederaciones vel conjuraciones aliquas, quecumque nomina imponantur eisdem. nec poteramus nec debebamus impertiri, et quod domino civitatum et oppidorum sine nostre maiestatis assensu similia in suis civitatibus facere non licebat. Hanc autem nostre maiestatis sententiam perpetuam firmitatem habere volentes ipsam dilecto principi nostro S. sancte Maguntine sedis

venerabili Archiepiscopo nostro sigillo fecimus communiri. Testes sunt hii. Theodericus Treverensis, Heinricus Coloniensis Archiepiscopi. C. Abbas sancti Galli. Otto Comes palatinus Rheni. Matheus Dux lotharingie. Heinricus Dux de limburg. heinricus Comes Seinensis. Lutherus Comes de hare. Walrammus de limpurg. Gerlacus de Butingen et alii quam plures. Data Aput Wormaciam Anno domini M. cc. xxxprimo Decimo Kalendas Februarij Indictione Quarta.

a) Sigillum fractum appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris. Ipsum, quod restat, fragmentum maiorem imaginis partem, exceptis capite et manu sinistra regis, nec non aliquas saltem inscriptionis circa imaginem litteras, inscriptionis denique in area primum vocabulum: dux, exhibet.

b) Indictio respondet anno indicato.

c) Editum, non quidem ex hoc exemplari, desumpto ex archivo Wirceburgensi, attamen ex aliis exemplaribus Wormatiensi, ac Moguntino, à Schannat hist. Wormat. probat. 109. num. 119 et à de Gudenus Cod. diplom. I. 510. num. 201.; antea in Lünigii Reichsarchiv. part. spec. contin. IV. Th. I. sive operis Tom. XIII. 3. n. 1. ac germanice part. gener. contin. II. sive operis Tom. IV. 150.

d) Mors Ludewici ducis Bavariae ac palatini Rheni hoc anno 1231. 16. Sept. communiter statuitur. Quod si verum est, eo vivente filius eius Otto (illustris) iam comes palatinus fuit.

e) Adest etiam exemplar moguntinum a de Gudeno l. c. editum, in solis nominibus personarum et agnominum nonnihil differens, appendente sigillo, in ora tantum dextra laeso, ex filis rubri coloris. Maiorem testium differentiam animadvertere licet in exemplari Wormatiensi apud Schannat et Lünig Tom. XIII. l. c.

DCXCVII.

DCXCVII.

Anno 1231. 29. April. apud Wormatiam.

Heinricus VII. rex statutum Beringeri Spirensis episcopi confirmat, quo iniqua quaedam consuetudo aboletur, ne debitores a sculteto Spirensi super contumacia sive violentia, quae Vurevel (Vräfel) dicitur, puniantur, priusquam actor contumaciam sive violentiam probaverit.

H. dei gracia Romanorum rex et semper augustus. Uniuersis imperii fidelibus quibus presens scriptum exhibitum fuerit graciam suam et omne bonum. Inolevit quippe a longis retro temporibus in ciuitate nostra Spirensi sicut intelleximus quedam consuetudo detestabilis pacis emula diuini et humani juris inimica. Hec scilicet quod siquis alicui laicorum in minima denariorum quantitate soluere tenebatur. creditor debitorem. nulla uel modica monitione premissa. coram officiali sculteto Spirensi traxit in causam. conquerens ipsum contumaciter et violenter quod uulgariter Vnreveliche vocatur. pecunie sic debite solutionem neglexisse. a cuius instantia iudicii. reus nequaquam potuit absolui. nisi ad minus per septem testimonia personarum. quas si reus ad expurgationem obiectorum non poterat producere. scultetus ipsum reum actori ad soluendum deducta (debita?) in judicium condempnauit. et insuper ivdex ipse pro contumatia siue violentia que vureuele dicitur licet nulla esset reo pro libitu. pecunariam penam inflixit. Cum ad abolendam igitur huius inique consuetudinis corruptelam. Dilectus princips noster Berngerus venerabilis Spirensis episcopus ad preces ciuium nostrorum Spirensium communicato capituli sui consilio prouide statuerit ut siquis laicorum aliquem in ciuitate nostra Spirensi iuxta casum prescriptum. coram sculteto Spirensi deinceps traxerit in causam. Actori se tercio ad minus interpo-

sito. iuramentis incumbat onus probandi contumatiam siue violentiam que Vureuele dicitur. quam reum dicit commisisse. Alioquin reus eleuata ad gloriosas sanctorum reliquias sola manu intentionem actoris elidat. jurando se nichil debere. vel contumaciter aut violenter quod Wreuele dicitur debitum se non tenere vel tenuisse. aut violentiam obiectam non commisisse. Verum cum etiam idem episcopus et ciues nostri prenotati a nobis cum magna precum instantia postulauerint. ut abolitionem premisse consuetudinis inique auctoritate regia confirmare dignaremur. Nos deliberato consilio principum factum memorati episcopi nostri principis duximus confirmandum. et ad maiorem euidentiam presens Scriptum sigillo nostre celsitudinis. jussimus communiri et antefatis nostris ciuibus exhiberi. Testes qui interfuerunt hii sunt. S. moguntinus. H. coloniensis. Th. trevirensis. et Madeburgensis archiepiscopi. S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius. H. wirzeburgensis episcopus. H. wormazensis. H. argentinensis. B. spirensis. Curiensis. et Augustensis. Laudunensis episcopi. Sancti Galli. Prumensis. C. de wizenburc. sancti Cornelii. et de Gengenbach abbates. Brabanzie. Luthoringie. Meranie. et de Limpurch duces. Comes Walrafen. Palatinus comes de Tuwingen. Comes de Otingen. comes de Spanheim. Comes de Kefernberc. Comes de hohstadt. Comes de Harzburc. Burgrauius de Nurenberc. Comes de Alsacia. Comes hirsutus. A. comes de habesburc. A. comes de Kyburc. Comes de ferreto. H. et A. nifarii. T. comes de Zolre. M. comes de wilperc. G. comes de Eberstein. W. dapifer de Bonladia. Marscalcus de Bappenheim. C. dapifer de Walpurc. C. Pincerna de Wintersteten. et alii quam plures.

Datum apud Wormatiam in sollempni nostra curia. Anno dominice incarnationis. M°. CC°. XXX°. primo. tercio Kalend. maij Indictione quarta.

a) Sigillum appendet, illaesum.

b) Indictio respondet anno Ch. expresso.

c) Ineditum, desumptum ex Archivo urbis Spirensis.

DCXCVIII.

Anno 1231. 1. Maii. apud Wormatiam.

Heinricus VII. rex omnibus principibus, ecclesiasticis et mundanis, plura concedit privilegia, quibus illos vult gaudere, salvis privilegiis a genitore suo obtentis aut obtinendis; eodem quoque iure vult gaudere vasallos, ministeriales et civitates ad se et imperium spectantes.

H. dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. Vniuersis Imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa. Gratiam suam et omne bonum. Volentes principes ecclesiasticos et mundanos in sua libertate et honore conseruare et modis omnibus confouere. de regali munificencia nostra. gratiam eis fecimus quam a ciuitatibus nostris eisdem uolumus inuiolabiliter obseruari. Statuentes in primis quod nullum nouum castrum uel ciuitatem in preiudicium principum construere debeamus. quoniam noua fora. antiqua fora possint aliquatenus impedire. Item nemo cogatur ire ad aliquod forum inuitus. Item strate antique non declinentur nisi de transeuncium uoluntate. Item in ciuitatibus nostris bannitum miliare deponatur. Item unusquisque principum libertatibus iurisdictionibus. comitatibus centis liberis sibi uel infeodatis. utetur quiete secundum terre sue consuetudinem approbatam. Item centegrauii recipiant centas a domino terre. uel ab eo qui per dominum terre fuerit infeodatus. Item locum cente nemo mutabit. sine consensu domini terre. Item ad centas nullus sinodalis uocetur. Item ciues qui phalburgare dicuntur penitus deponantur. Item census frumenti vini pecunie uel alii quos rustici constituerunt hactenus se solituros relaxentur et ulterius non recipiantur. Item principum Nobilium ecclesiarum homines proprii in nostris ciuitatibus non recipiantur. Item principibus nobilibus ministerialibus ecclesiis proprietates et feoda per ciuitates

nostra [illegible] restituantur nec occupentur. Item [illegible] principum [illegible] in manu nostra tenent in feoda, per nos uel per nostros nos impediemus nec intrigi (infringi) paciemur. Item non compellantur aliqui per scultetos nostros ad restitucionem rerum que a longo tempore receperant ab hominibus principum uel in ciuitatibus nostris milocarent. Item in ciuitatibus nostris nullus terre famosus seu a iudice dampnatus uel proscriptus recipiatur, recepti [illegible] eiciantur. Item nullam nouam monetam in terra alicuius principis cudi faciemus, per quam monetam moneta principis deterioretur. Item ciuitates nostre iurisdictionem suam extra sue ciuitatis ambitum non extendant, nisi ad nos pertineat iurisdictio specialiter. Item in nostris ciuitatibus actor forum rei sequatur, nisi reus uel debitor principalis ibidem fuerit inuentus, quo casu respondeat ibidem. Item nemo recipiat in pignore bona quibus quis infeodatus est, sine consensu et manu domini principalis. Item ad opera ciuitatum nullus cogatur nisi de iure teneatur. Item homines aduocaticii in nostris ciuitatibus residentes antiqua et debita aduocatie iura persoluant, neque indebitis exactionibus molestentur. Item homines proprii aduocaticii feodales qui ad dominos suos transire voluerint, ad remanendum a nostris officiatis non artentur. Talibus autem beneficiis dilectos nostros honorabiles principes, maiestas decreuit regia prouenire, saluis priuilegiis a genitore nostro obtentis et ab eo uel a nobis inposterum obtinendis. Eodem quoque iure gaudere uolumus vassallos ministeriales, homines et civitates ipsorum ad Imperium attinentes. Datum apud Wormaciam anno dominice Incarnationis Millesimo Ducentesimo Tricesimo primo. Kalendis Maii Indictione IIII^a.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, fila quoque rubri coloris disrupta sunt, quorum pars quaedam superior membranae inferius implicata [illegible] remansit.

b) Indictio concurrit cum anno expresso 1231.

c) Editum quidem in hac forma, insertum tamen, paucis mutatis,

in confirmatione privilegii huius, ab imp. Friderico II. sequenti an. 1232. mense Maio ap. Utinum facta, quae impressa habetur in Schannat Cod. Probat. Wormat. 111. num. 21. et in de Ludewig Reliq. Mspt. VII. 515 — 519.

d) Desumtum ex Archivo Augustensi.

DCXCIX.

Anno 1231. 1. Maii. apud Wormatiam.

Heinricus VII. rex omnibus principibus, ecclesiasticis et mundanis, plura concedit privilegia, quibus illos vult gaudere, salvis privilegiis a genitore suo obtentis aut obtinendis; eodem quoque iure vult gaudere vasallos, ministeriales et civitates ad se et imperium spectantes.

Heinricus dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. vniuersis Regni sui fidelibus gratiam suam et omne bonum. Volentes principes nostros Ecclesiasticos et mundanos. ceterosque fideles Regni nostri. in sua libertate et honore. seruare et modis omnibus confouere. de Regali nostra munificencia, gratiam eis fecimus, quam a civitatibus nostris eisdem volumus inviolabiliter obseruari. Statuentes inprimis, quod nullum Novum Castrum vel civitatem, in preiudicivm principum construere debeamus. Item quod Nova fora, antiqua, non possint aliquatinus impedire. Item Nemo cogatur ad aliquod forum ire invitus. Item Strate antique non declinentur. nisi de transeuncium. voluntate. Item in civitatibus nostris bannitum miliare deponatur. Item vnusquisque principvm libertatibus, Jurisdictionibus, Comitatibus, Centis, liberis sibi uel infeodatis. vtetur quiete, secundum terre sue conswetudinem approbatam. Item Centgrauii recipiant Centas a domino terre, vel ab eo qui per dominum terre fuerit infeodatus. Item

locum ceate nemo mutabit sine consensv domini terre. Item ad Centas nvllus Synodalis vocetur, Item Cives qui Phalburgere dicuntur penitus deponantur, Item Census frumenti, vini, pecunie, vel alii, quos Rustici constitverunt hactenus se solutvros, relaxentur, et vlterivs non recipiantur. Item principum, Nobilivm, Ministerialium, Ecclesiarum, homines proprii in civitatibus nostris non recipiantur, Item principibus Nobilibus Ministerialibus Ecclesiis proprietates et feoda per civitates nostras occupata, restituantur, nec ulterius occupentur. Item Conductum principum per terram eorum quam de manv nostra tenent, in feodo. per nos vel nostros. non impediemus. vel infringi paciemur. Item non compellantur aliqui per Scultetos nostros ad restitucionem eorum, que a longinquo tempore ab hominibus prius quam se in nostris civitatibus collocarent, receperant. Item in civitatibus nostris nvllus terre dampnatus. vel a judice dampnatus, vel proscriptus, scienter recipiatur. Recepti convicti eiciantur. Item Nullam Novam Monetam in terra alicuius principis cudi faciemus, per quam Moneta principis deterioretur. Item civitates nostre iurisdicionem suam. extra sue civitatis ambitum non extendant. nisi ad nos pertineat. Jurisdictio specialis. Item in civitatibus nostris actor forum Rei sequatur. nisi Reus vel debitor principalis. ibidem fuerit inventus que casv respondeat ibidem. Item Nemo recipiat in pignore bona quibus quis infeudatus est. sine consensu et manv, domini principalis. Item ad opera civitatum nullus cogatur, nisi de iure teneatur. Item homines [illegible] in nostris civitatibus residentes. antiqua. et debita [illegible] iura persolvant, neque indebitis exactionibus molestentur. Item homines pergeri, advocatorum. feudales. qui ad dominos suos transire voluerint, ad manendum a nostris officiatis non artentur. Talibus autem beneficiis [illegible] regia [illegible] privilegiis. a nostro [illegible], et ab eo [illegible] Eadem [illegible] iure gaudere volumus. [illegible] Imperii [illegible] Testes sunt hii S. [illegible] Maguntinensis Electus. Th. Treverensis. [illegible] Wirzeburgensis. [illegible] Coloniensis Archiepiscopi. [illegible] Wormaciensis. Argentinensis.

Spirensis.. Augustensis.. Curiensis Episcopi.. S[ti]. Galli wizenburgensis.. Brumiensis Abbates.. Meranie.. Lothoringie.. Bravancie Duces et alii quam plures. Data aput wormaciam in Curia sollempni Anno domini M°. CC. XXX primo. Kal. Maii. Indictione quarta.

a) Sigillum, in ora nonnihil laesum, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris; fila tamen pleraque disrupta sunt.

b) Indictio respondet anno expresso.

c) Ineditum quidem hac in forma, insertum tamen in confirmatione huius privilegii ab imp. Friderico II. sequenti anno 1232. mense Maio apud Utinum facta, quae impressa habetur in Schannat Cod. probat. Wormat. 111. num. 21. et in de Ludewig Reliq. Mspt. VII. 515—519.

d) Desumtum ex Archivo cathed. Wirceburgensi, conferatur autem alterum exemplar ex Archivo Augustensi, a quo hocce non quidem sensu, attamen vocabulorum constructione aliquoties discrepat. Notandum insuper, in exemplari Augustensi omnes testes abesse.

e) Adest etiam exemplar Moguntinum, sigillo integro appendente ex filis rubri coloris munitum, quod inter testes omisit Sibotonem Augustensem episcopum.

f) Hucusque in recensione authenticorum diplomatum nulla facta est interpunctionum distinctio. In hoc autem exemplari Wirciburgensi adeo distinguuntur commata a punctis, ut ambigere de caetero nequeamus. Hinc in residuis imperatoris Friderici II. diplomatibus paucis tantum monebimus discrepantiam eandem ab usu communi.

DCC.

Anno [illegible] mense Maii aut Junii.

Henricus VII [illegible] [illegible] quibusdam feodis [illegible] [illegible] de Bakespere et [illegible] de Wimpere [illegible] scilicet [illegible] [illegible] ecclesiae [illegible] Conradi de Wimpere [illegible] idem Conradus [illegible] ministerialis, in compensatio[illegible] [illegible] [illegible] patrimonii [illegible]

[illegible]

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Henricus dei gratia [illegible] augustus. [illegible] maiestatis [illegible] [illegible] [illegible] memor[illegible] [illegible] igitur [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

las. Sinderingen. et utrumque zwivelingen. Wolmvoteshusen. Thieffensalle. Schelhenberc. et Holzwiler. memorate herbipolensi ecclesie in concambium contulit et restaurum. Cum autem memoratus. C. de Winsperc noster sit ministerialis. nec patrimonium suum. nisi de nostra permissione possit uel debeat alienare. nos ex plenitudine nostri consilii plenam eidem ac liberam dedimus facultatem. memoratas uillas sepedicte ecclesie conferendi. cui collationi manum nostram adhibentes et assensum. nos eandem presencium testimonio confirmamus. Ne autem per aliquorum emulorum insidias ecclesia sibi collati patrimonii iure umquam defraudetur. immo et ne super ipso concambio dubium alicui inposterum oriatur. presens scriptum conscribi disposuimus. et sigilli nostri munimine roborari. Testes huius rei sunt. . . . . . Episcopus Wormaciensis. predictus . . . . Marchio de Baden . . . . comes de Lewenstein. Cunradus de Magenheim. Ludewicus de Schiphe. Engelhardus de Nidecge. Ludewicus de Lvneburc. Rabeno de Rabenspurc. Dietherus frater suus. et alii quam plures tam clerici quam laici. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis. M°. cc°. Tricesimo Primo. Regnante nobiscum Glorioso patre nostro Romanorum Imperatore Friderico Indictione iiij[a].

a) Sigillum, in ora nonnihil laesum, appendet ex filis sericis flavi, rubri et viridis coloris.

b) Indictio respondet anno Ch. expresso. Locus, mensis ac dies peracti negotii desunt. Testis tamen primus, scilicet Wormatiensis curiam regis huius Wormatiensem, mensibus Februario, Maio et Junio habitam designare videtur.

c) Ineditum, memoratum tamen et germanice extractum à Frisio apud Ludewig Geschichtschr. v. Wirzb. 558. b.

DCCI.

Anno 1231. 9. August. apud Nurenberch.

Heinricus VII. rex, petentibus abbate et conventu beati Udalrici et Sanctae Afrae, praedia eorum in villis Bonsteten, Vocteswiler et Rvotin, a duobus ministerialibus regiis comparata, in protectionem suam recipit, ipsumque monasterium securum reddit, quod de ista advocatia praeter consuetudinarium Vogetmutte (Vogtemutte) nihil extorqueatur, et quod ipsa advocatia nunquam in beneficium cuiquam concedatur.

Gloria sit deo patri omnipotentj Intrinitate perfecta et Maiestatis excellentia. Hainricus dei gratia Romanorum rex et semper Augustus. Vniuersis regnj suj fidelibus imperpetuum. Quoniam diuina preordinante gratia tante dignitatis nostre et maiestatis culmine transcendimus. in quo ceteris mortalibus super eminemus. dignum censemus per omnia et salubrie. vt ipsi soli per quem reges regnant et subsistunt. incunctis nostris operationibus gloriam demus. atque reuerenter et supliciter iugiter preeamus. INotescat itaque cunctis Christi fidelibus. pariter et totius nostri regni primoribus. tam futuris quam presentibus. quod in Christo fratres dilecti. Abbas et conuentus monasterij beati Vdalrici et sancte Afre apud Augustam urbem regiam comparauerunt a duobus nostris ministerialibus videlicet Adelberone et Sifrido. ipsorum predia jure ereditario ad ipsos transducta. in villis. Bonsteten. et vocteswiler et Rvotin cum omni suo jure et attinentijs ibidem. areis. edificiis. agris. tabernis. terris. Cvltis. seu Incultis. pratis. Siluis. Pascuis. viis. quesitis et jnquirendis. cum ipsa Ecclesia. et iure patronatus. et omnibus suis attinencijs. Porro quia idem abbas cum suo conuentu. deuote et liberaliter nos sub spe magne fiducie defensionis. motu proprio. et uoluntarie. jn eisdem bonis jam

pretaxatis. aduocatum sibi preelegerunt. et protectorem constituerunt. adicientes manifeste et hoc condictum nostra cum uoluntate sue petitionj. ne nos seu quisquam nostrorum successorum jn Regno Romano eandem aduocatiam quoquomodo uel etiam occasione falsa. ratione beneficij alicujus cuiquam hominum assignare debeamus. Regio affectu nostro et sincera uoluntate. sepefata predia ipsius ecclesie. cum ecclesia ibidem et suis pertinenciis in nostre Maiestatis suscipimus protectionem et conseruationem. Mandantes et firmiter precipientes. ne quisquam hominum in ipsis bonis ausu temerario et contra ipsorum uoluntatem quicquam ordinare presumat. in ipsius ecclesie preiudicium et grauamen. quod si forte quisquam contra presumpserit. nouerit se regie maiestatis indignationem incurrisse. Statuimus quoque et firmiter precipimus. ne quisquam officialium nostrõrum in eisdem prediis preter statutum seruitium et consuetudinarium omnium aduocatorum quod dicitur Vogetmutte. extorquere presumat uiolenter. Insuper ne quisquam eandem aduocatiam a nobis seu nostris successoribus sibi ratione beneficij conferri maliciose attemptauerit. statuimus firmiter et edictum regale promulgauimus. quod si quisquam contra tale nostrum edictum eandem aduocaciam a nobis seu nostris successoribus falsa suggestione impetrauerit. tam ipsa aduocatia quam etiam aliis suis beneficiis prorsus destituatur. et priuetur. et quod magis periculosum est. extra gratiam nostre maiestatis prorsus censeatur. Datum apud Nvrenberch anno dominice Incarnationis. Millesimo. cc. xxxi^{mo}. v^{o}. Idus Augusti Indictione iiij^{a}. presentibus atque procurantibus venerabilibus viris. domino . . . . Cancellario nostro. et Episcopo Ratisponensi. et domino. S. augustensi Episcopo. Domino abbate Sancti Galli.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere solum fila serica rubri et flavi coloris membranae inferius complicatae innexa, quo in statu iam anno 1814. editor mox laudandus hoc instrumentum invenit.

b) Indictio convenit cum anno Chr. indicato 1231.

c) Editum in Mon. Boic. XXII. 205 — 208. num. 17. cum notis geographicis, historicis atque diplomaticis Plac. Braun.

d) Quaedam nomina testium nulla littera sunt indicata neque illis spatium vacuum relictum est, quod aeque in aliis diplomatibus huius temporis observatur.

DCCII.

Anno 1231. 22. Novembr. apud Ulmam.

Heinricus VII. rex ecclesiae Augustensi recognoscit et confirmat medietatem precariarum seu collectarum, quas rex a civibus Augustensibus duxerit exigendas.

Heinricus septimus diuina fauente clementia Romanorum Rex et semper Augustus. Vniuersis In perpetuum. Vt in nostris temporibus recognitiones a nobis facte. fideli et prvdenti consilio deliberate. certa quadam notitia propagentur in posteros. ne processu temporis per exortam obliuionis caliginem euanescant. litterarum consuevimus indiciis eternari (aeternari). Meminerit igitur presens etas. et cognoscat futura posteritas. quod nos recognoscimus ecclesie augustensi. medietatem precariarum seu collectarum. quas a ciuibus augustensibus deinceps duxerimus exigendas. volentes ut dilectus princeps noster Siboto augustensis ecclesie Episcopus. et quilibet successorum suorum in ipso Episcopatu. medietatem recipiat sine maliciosa diminucione. Statuimus etiam et sub interminacione gratie nostre inhibemus. ne quis officiatorum nostrorum memoratam ecclesiam uel Episcopum eius dilectum principem nostrum. in premissa recognicione inpedire audeat seu molestare. quod cum de iure sit ipsius ecclesie nobiscum precarias siue collectas proporcionaliter a premissis ciuibus recipere. ipsam medietatem ipsi ecclesie et Episcopis ibidem constitutis confirmamus. vt autem hec recognitio et confirmatio memorate ecclesie.

Episcopis rata permaneat et inconuulsa. presentem Litteram si- lli nostri munimine duximus communiri. Testes sunt hii. Cvon- dus venerabilis Constanciensis Episcopus . . . . Venerabilis Au- ensis Abbas. . R. palatinus Comes de Tuwingin. C. Burcgrauius e Nvorinberc. Willelmus comes de Tuwingin. Comes Albertus e Rottinburc. Comes Vlricus de Helffinstain. E. Dapifer de 'alppurc. C. Pincerna de Wintterstetin. Heinricus camerarius e Rauinsburc. et alii quam plures. Actum apud Vlmam Anno ominice incarnacionis Millesimo ducentesimo Tricesimo primo. no. Kalendas Decembris. Indictione V[ta].

a) Sigillum, laesum in omni ora, praesertim in superiori, appendet ex filis sericis rubri et subflavi coloris. Laesione praedicta inscriptio circum imaginem scribi solita pene tota evanuit; imago tamen regis, excepto capite, integra adhuc restat, cum inscriptione tituli ducis Sueviae, quae ex utraque parte sedilis in area conspicitur.

b) Indictio, quae caesarea dicitur, convenit cum anno Ch. indicato 1231.

c) Ineditum, memoratum autem et germanice extractum à Plac. Braun in der Gesch. der Bisch. von Augsb. II. 245.

DCCIII.

Anno 1231. mense Decembri. Ravennae.

Fridericus II. imperator, supplicante Henrico abbate de Tegernese (Tegernsee), statuit: ut nulli porro abbatum huius monasterii liceat, bona eius in ducatu Austriae, quae feoda sunt imperii et quibusdam, in detrimentum monasterii et fratrum, collata, postquam ad demanium (dominium) eius redierint, ab ipso monasterio infeodando vel alio modo alienare.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere tantum fila serica flavi, albi et purpurei coloris membranae inferius complicatae innexa.

b) Notae chronologicae omnes concordant, non excepta indictione, quae est dicta caesarea.

c) Editum in Oefele scr. r. B. II. 83. Mon. Boic. VI. 207. num. 37.

d) Nomina testium partim littera initiali indicata, partim omnino omissa, relicto illis parvo spatio vacuo, partim suppleri possunt ex diplomate alio eiusdem loci ac temporis apud Neugart codex Alemanniae II. 166; ubi saltem testes laici plenis vocabulis nominati sunt.

DCCIV.

Anno 1231. mense Decembri. Ravennae.

Fridericus II. imperator monasterium Ahusen, cum omnibus possessionibus eius, sub speciali sua et imperii recipit protectione.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens Scriptum Notum facimus vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. quod nos adtendentes fidem puram et deuocionem sinceram .... venerabilis abbatis Ecclesie in Ahusen fidelis nostri de munificentie nostre gratia personam eius cum omnibus bonis suis tam ecclesiasticis quam mundanis sub protectione et defensione nostra et Imperii recepimus speciali. Mandantes et firmiter inhibentes, quatenus nullus sit qui eundem Abbatem in persona et rebus suis impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit Indignacionem nostram se senciat incursurum. Ad huius itaque protectionis eius memoriam et stabilem firmitatem presens Scriptum fieri iussimus Maiestatis nostre Sigillo munitum.

Datum Rauenne anno dominice Incarnacionis Millesimo ducentesimo Tricesimo primo Mense Decembri Quinte Indiccionis.

a) Sigillum, in utraque ora, dextra et sinistra, laesum, appendet ex filis sericis rubri ac viridis coloris.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno Ch. expresso.

c) Editum in Schütz corp. histor. Brandenburg. sylloge 71. num. 33.

DCCV.

Anno 1232. 22. Februar. Ravennae.

Friderici II. imperatoris constitutio amplissima contra omnes, et praecipue contra nominatos eius temporis haereticos.

INcipiunt Capitula Constitutionis contra patarenos edite per dominum Fr. Illustrem Romanorum Imperatorem semper Augustum Jerusalem et Sicilie Regem. Catharos. Patarenos. Speronistas. Leonistas. Arnaldistas, Circumcisos. et omnes Hereticos utriusque Nomine censeantur perpetua dampnamus infamia. diffidamus atque bannimus. Censentes ut bona talium confiscentur. nec ad eos ulterius reuertantur. Ita quod filij ad successionem eorum peruenire non possint. Cum longe sit grauius eternam quam temporalem offendere Maiestatem. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles nisi ad mandatum ecclesie iuxta considerationem suspicionis. qualitatemque persone propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint. tamquam infames et banniti ab omnibus habeantur. Itaquod si sic perannum permanserint ex tunc eos sicut Hereticos condempnamus. Statuimus etiam hoc edicto inperpetuum ualituro ut potestates et Consules seu Rectores quibuscumque fungantur officiis pro defensione fidei prestent publice iuramentum. quod de terris sue iurisdictioni subiectis vniuersos Hereticos. ab ecclesia denotatos. bona fide pro uiribus exterminare studebunt. Ita quod amodo quandocumque quis fuerit in potestatem perpetuam uel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus. neque pro consulibus habeantur, eorumque sententias ex tunc decernimus irritas et inanes. Si uero dominus temporalis requisitus et monitus ab ecclesia terram suam purgare neglexerit ab heretica prauitate. post annum a tempore monitionis elapsum terram ipsius exponimus Catholicis occupandam. qui eam exterminatis

minatis Hereticis, absque ulla contradictione possideant. et in fidej puritate conseruent. Saluo iure domini principalis dum modo super hoc nullum prestet obstaculum. nec aliquod impedimentum opponat. eadem nichilominus lege seruata contra eos qui non habent dominos principales. Credentes preterea Receptatores. Defensores. et fautores Hereticorum bannimus. firmiter statuentes ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus Satisfacere contempserit infra annum extunc ipso iure sit factus infamis nec ad publica officia seu consilia uel ad eligendos aliquos ad huiusmodi nec ad testimonium admittatur. sit etiam intestabilis nec testamenti liberam habeat factionem. nec ad Hereditatis successionem accedat. nullus ei preterea super quocumque negotio. Set ipse aliis respondere cogatur. Qui si forte Judex extiterit, eius sententia nullam optineat firmitatem. nec cause alique ad ejus audientiam perferantur Si fuerit aduocatus eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio instrumenta confecta per illum, nullius penitus sint momenti. Adicimus insuper quod hereticus conuinci per Hereticum possit. et quod domus patarenorum receptatorum. defensorum et fautorum eorum siue ubi docuerint aut manus aliis imposuerint destruantur. nullo tempore restricture. Datum Rauene. xxıj. Februarij. v. Indiccionis.

a) Sigillum illaesum appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.

b) Annus Chr. non est expressus, indictione tamen satis denotatus.

c) Huius constitutionis Friderici II. plura extant exemplaria, parum inter se discrepantia, licet diverso loco et tempore edita. Hocce exemplar, episcopo Wirzeburgensi est datum, prout patet ex inscriptione exteriori coaeva atque ex archivo Wirceburgensi desumtum hucusque ineditum. Ipsa vero constitutio impressa habetur in Goldasti constitut. imper. I. 295. in Raynald continuat. Baron. ad an. 1231. §. 18 et 19., inserta denique in corpore iuris civilis ad calcem cod. constitut. Friderici II. quae incipit: Ad decus §. 5 — 8. inclus. Conferatur etiam diplom. Friderici II. anni 1220. potius quam 1221. mense Decemb. apud Ried Cod. dipl. Ratisb. I. 332. seq. num. 351.

DCCVI.

Anno 1232. mense Martio. Ravennae.

Fridericus II. constitutionem suam generalem contra haereticos promulgans, fratres ordinis praedicatorum de Wirzeburc, pro fidei negotio in partibus Theotoniae deputatos, sub sua et imperii speciali recipit defensione, eosque omnibus imperii fidelibus commendat.

Fredericus dei gratia Romanorum Imperator, Semper Augustus. Jerusalem et Sicilie Rex. Dilectis principibus venerabilibus Archiepiscopis. Episcopis. aliisque prelatis ecclesiarum. Ducibus. Marchionibus. Comitibus. Baronibus. Scultetis. Burgrauiis. Aduocatis. Judicibus. Ministerialibus. Officialibus. et Vniuersis per totum imperium constitutis presentes litteras inspecturis, fidelibus suis. gratiam suam et omne bonum. Commissi nobis celitus cura regiminis et Imperialis cui dante domino presidemus fastigium dignitatis. materialem quo diuisim a sacerdotio fungimur gladium aduersus hostes fidei et in exterminium heretice prauitatis exigunt exerendum. ut uipereos perfidie filios contra deum et ecclesiam insultantes, tamquam materni uteri corrosores. in iudicio et iustitia persequamur. maleficos uiuere non passurj. per quorum scientiam seductricem, mundus inficitur. et gregi fidelium per oues has morbidas grauior infligi (infligitur) corruptela. Statuimus itaque sanctientes ut heretici quocumque nomine censeantur. ubicumque per Imperium dampnatj fuerint ab ecclesia et secularj iudicio assignatj. animaduersione debita puniantur. Siqui uero de predictis postquam fuerint deprehensi. territi metu mortis redire uoluerint ad fidei unitatem. iuxta canonicas sanctiones ad agendum penitentiam in perpetuum carcerem retrudantur. Preterea quicumque heretici repertj fuerint in Ciuitatibus. Opidis. seu locis aliis Imperij per inquisitores ab apostolica sede datos et alios Orthodoxe fidei zelatores hii qui in iurisdictionem ibidem habue-

rint ad inquisitorum et aliorum catholicorum uirorum insinuationem, eos capere teneantur. et captos artius custodire. donec per censuram ecclesiasticam condempnatos. dampnabili morte perimant. qui fidej et uite sacramenta dampnabant. Simili quoque pena plectj censemus, omnes quos ad fouendum hereticorum errorem. callidi hostis astutia suscitat aduocatos, uel parat illicitos defensores. Maxime cum facinus quos inquinat. equet. nisi monitione premissa destiterint. et eorum uite duxerint consulendum. Eos preterea qui conuictj in uno loco de heresi ad alia loca se transferunt ut cavtius possint effundere uirus heretice prauitatis, debitam censemus subire uindictam. ubi super hoc per uiros ab eodem errore conuersos ad fidem. necnon per alios qui eos de heresi conuicerunt quod in hoc casu licite concedimus faciendum. euidens testimonium habeatur. Item mortis Sententie duximus addicendos siquos hereticorum ad iudicium tractos, in extremo uite periculo heresim abiurantes postmodum de falso iuramento constiterit. et fide mentita conuincj. ac eos contigerit eiusdem morbi spontaneam incurrere recidiuam ut sibi dampnabilius iniquitas sit mentita. et penam debitam mendacium non euadat. Omne insuper proclamationis ac appellationis beneficium ab hereticis. receptatoribus. et fautoribus eorundem penitus amouemus. Volentes ut de finibus alamanie inquibus semper extitit fida fides. heretice labis genimina modis omnibus deleantur. Ceterum quia quanto maiora diuine tuitu miserationis accepimus. et altiorem locum pre filiis hominum optinemus tanto deuotiora debemus obsequia gratitudinis conferentj. si quando igitur in nostri maledicos nominis nostrj culminis excandescit auctoritas. si reos lese maiestatis in personis eorum et suorum liberorum exhereditatione dampnamus. multo dignius iustiusque contra diuinj. blasphematores nominis et catholice detractores fidei prouocamur. eorundem hereticorum receptatorum. fautorum et aduocatorum suorum heredes et posteros usque ad secundam progeniem beneficiis cunctis temporalibus publicis officiis. et honoribus imperialj auctoritate priuantes, ut in paterni memoria criminis continuo merore tabescant. Vere scientes quia deus celotes est peccata patrum in filios potenter ulciscens. nec id a misericordiae finibus duximus excludendum. ut

siqui paterne heresis non sequaces. latentem patrum perfidiam reuelarint. quacumque reatus illorum animaduersione plectatur. predicte priuatione non subiaceat innocentiam (innocentia) filiorum. Ad hec notum fieri uolumus vniuersis Priorem et fratres ordinis predicatorum de Wirceburc pro fidej negotio in partibus theotonie contra hereticos deputatos fideles nostros ceteros quoque qui ad hereticos iudicandos accesserint et conuenerint. nisi eorum aliquj ab Imperio sint proscriptj. eundo. morando. et redeundo sub nostra et Imperij speciali defensione receptos. et quod apud omnes sub ope ac recommendatione fidelium Imperij esse uolumus inoffensos. Vniuersitatj uestre mandantes. quatinus quocumque et apud quemcunque uestrum peruenerint benigne recipiatis eosdem. et personas eorum ab incursu hereticorum eis insidiantium conservantes indempnes. omne consilium. ducatum et auxilium impendatis pro tam acceptis coram domino negociis exequendis. Hereticos uero quos deprehenderint et ostenderint ipsi uobis in iurisdictione uestra singulj capientes diligentj custodia detinendos. donec post ecclesiastice dampnationis iudicium. penam subeant quam merentur. Sciturj quod in executione ipsius negocij gratum deo et laudabile coram nobis conferetis obsequium. si ad abolendam de partibus Alamanie nouam et insolitam heretice infamiam prauitatis. opem et operam una cum eisdem fratribus prestiteritis efficacem. Et siquis foret exinde negligens uel remissus. inutilis coram domino. et in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere. Datum Rauenne Anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo Tricesimo secundo. Mense Marcij Quinte Indictionis.

a) Sigillum illaesum appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio respondet anno Chr. expresso.

c) Hocce exemplar ex archivo Wirceburgensi desumptum atque ineditum. Ipse autem contextus non differt à priori constitutione eiusdem imperatoris contra haereticos, quam Goldastus in constitut. imperial. I. 293. ad annum 1221. refert.

DCCVII.

Anno 1232. mense Martio. Ravennae.

Fridericus II. constitutionem suam generalem contra haereticos promulgans, fratres ordinis praedicatorum de Ratispona, pro fidei negotio in partibus Theotoniae deputatos, sub sua et imperii speciali recipit defensione, eosque omnibus imperii fidelibus commendat.

Fridericus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Jerusalem et sicilie Rex. Dilectis Principibus suis Venerabilibus Archiepiscopis. Episcopis. Aliisque prelatis ecclesiarum. Ducibus. Marchionibus. Comitibus. Baronibus. Scultetis. Burgrauiis. Aduocatis. Judicibus. Ministerialibus Officialibus. et vniuersis per totum imperium constitutis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Commissi nobis celitus cura regiminis et Imperialis cui dante domino Presidemus fastigium dignitatis. materialem quo diuisim a sacerdotio fungimur gladium. Aduersus Hostes fidei et in exterminium heretice Prauitatis exigunt exerendum etc. (ut in praecedenti instrumento) Ad hec notum fieri uolumus uniuersis. Priorem et fratres ordinis predicatorum (de) Ratispona. pro fidei negotio in partibus Theotonie contra hereticos deputatos fideles nostros. ceteros quoque qui ad hereticos iudicandos accesserint et conuenerint. nisi eorum aliqui ab imperio sint proscripti. Eundo. morando. et redeundo. Sub nostra et Imperij speciali defensione receptos. et quod apud omnes sub ope ac recommendatione fidelium Imperij esse uolumus inoffensos. Vniuersitati uestre mandantes. quatenus quocumque et apud quemcunque nostrum peruenerint benigne recipiatis eosdem personas eorum ab incursu hereticorum eis insidiantium conseruantes indempnes. omne consilium ducatum et auxilium impendatis pro tam acceptis coram domino negociis exequendis Hereticos uero quos deprehenderint et ostenderint ipsi uobis in iurisdictione

uestra singuli capientes diligenti custodia detinendos donec post ecclesiastice dampnationis iudicium. penam subeant quam merentur. Scituri quod in executione ipsius negocii gratum deo et laudabile coram nobis conferetis obsequium. si ad abolendam de partibus Alamanie nouam et insolitam heretice infamiam prauitatis. opem et operam una cum eisdem fratribus presteritis (prestiteritis) efficacem. Et siquis foret exinde negligens uel remissus. inutilis coram domino. et incospectu in conspectu nostro. poterit merito culpabilis apparere . . . Datum Rauenne Anno Dominice Incarnationis Millesimo. Ducentesimo. Tricesimo secundo. Mense Marcij. Qvinte Indictionis.

a) Sigillum, in ora tantum dextra nonnihil laesum. appendet ex filis sericis flavi et purpurei coloris.

b) Indictio convenit cum anno Chr. indicato.

c) Desumtum ex archivo Praedicatorum sive Dominicanorum Ratisbonae, cuius formae diploma ab eodem imperatore alia quoque monasteria huius ordinis eodem tempore receperunt. Ineditum quidem quoad praedictam formam, per omnia tamen conveniens cum exemplari Praedicatorum Wirceburg. et insertum quoad rem ipsam tam in corpore iuris canonici ex concilio lateranensi 1215, quam in corpore iuris civilis ex constitutione Frideri II. imp. cnfr. tit. de haereticis et constitutionem Friderici II. contra haereticos ap. Goldast constitut. imp. I. 293.

DCCVIII.

Anno 1232. mense Maio incipiente. apud Sibidatum in foro Julii.

Fridericus II. imperator, apud Sibidatum cum filio suo Heinrico VII. rege conveniens, rogatus a principibus, privilegia ipsis ab eodem rege Wormatiae 1231. 1. Maii concessa, cum quibusdam tamen modificationibus, renovat et confirmat.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Fridericus secundus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et sicilie Rex. Excelsa nostri sedes Imperii exaltatur, ac Principalia moderamina Imperii in omni Justicia et pace disponimus. cum ad nostrorum Jura Principum et magnatum debita prouisione prospicimus in quibus velut honorabilibus membris insidet caput Ita nostrum uiget et consistit Imperium et tanta cesaree magnitudinis moles regit et euehit. quorum humeris innititur et portatur. Nouerit igitur presens etas et futura posteritas. Quod in foro Julii apud Sibidatum vnacum dilecto filio nostro Heinrico Romanorum Rege conuenientes. rogati per Principes et Magnates quorum ibidem diligenda nobis aderat multitudo. ut gratiam eis ab eodem Rege filio nostro in generali curia Wormacie indultam nostre auctoritatis munimine prosequi dignaremur. dignum duximus eorum precibus fauorabiliter annuendum. utpote qui non indigne in eorum promocione nostrum et Imperii statum intendimus commode promouendum. Concedimus igitur iuxta quod idem Rex filius noster noscitur concessisse ac perpetue confirmacionis donamus. Statuentes quatenus nullum nouum Castrum uel Ciuitas in fundis Ecclesiarum uel occasione aduocacie per nos uel per quemquam alium sub pretextu quolibet construantur. Item quod noua fora non possint antiqua aliquatenus impedire. Item nemo cogatur ad aliquod forum ire inuitus. Item Strate antique non declinentur nisi de transeuncium

uoluntate. Item in Ciuitatibus nostris nouis bannitum miliare deponatur. Item vnusquisque Principum libertatibus Jurisdictionibus Comitatibus Centis sibi liberis uel Infeodatis utetur quiete secundum terre sue consuetudinem approbatam. Item Centumgrauii recipiant Centas a domino terre uel ab eo qui per dominum Terre fuerit infeodatus. Item locum Cente nemo mutabit sine consensu domini Terre. Item ad Centas nemo Sinodalis uocetur. Item ciues qui Phalburgere dicuntur penitus eiciantur. Item census vini pecunie frumenti uel alii quos Rustici constituerunt hactenus se soluturos relaxentur et ulterius non recipiantur. Item Principum nobilium et ministerialium ecclesiarum Homines proprii in Ciuitatibus nostris non recipiantur. Item Principibus Nobilibus Ministerialibus et Ecclesiis Proprietates et feoda per Ciuitates nostras occupata restituantur nec ulterius occupentur. Item Conductum Principum per terram eorum quam de manu nostra tenent in feodo. uel per nos uel per nostros non impediemus uel infringi paciemur. Item non Compellantur per Scultetos nostros ad requisicionem eorum que a longinquo tempore ab hominibus receperant priusquam se in nostris Ciuitatibus collocarent. nisi homines ipsi fuerint Imperio immediate subiecti quos tenebuntur iurare (iuuare) super eorum iure. in foro eorum in quorum terris talia sunt percepta. Item in Ciuitatibus nostris nullus Terre dampnosus. uel a iudice dampnatus, uel proscriptus. recipiatur scienter. Recepti. conuicti. eiciantur. Item nullam nouam Monetam in Terra alicuius Principis cudi faciemus per quam Moneta eiusdem Principis deterioretur. Item Ciuitates nostre Jurisdictionem suam ultra Ciuitatis ambitum non extendant nisi ad nos pertineat Jurisdictio specialis. Item in Ciuitatibus nostris actor forum rei sequetur. nisi reus uel debitor principalis ibidem fuerit inuentus quo casu ibi tenebitur respondere. Item nemo recipiat in pignore bona quibus qui infeodatus sit, sine consensu et manu domini Principalis. Item ad opera Ciuitatum nullus cogatur nisi de iure teneatur. Item homines in nostris Ciuitatibus residentes. consueta et debita iura de bonis extra Ciuitatem suis dominis et aduocatis persoluant. neque indebitis exactionibus molestentur. Item homines proprii aduocaticii feodales qui ad dominos suos transire

transire uoluerint. ad manendum per Officiales nostros non artentur. Ad huius itaque concessionis et confirmacionis nostre memoriam et stabilem firmitatem presens Priuilegium fieri fecimus Maiestatis nostre Sigillo munitum. Huius autem rei testes sunt. S. Maguntinus Archiepiscopus. B. patriarcha aquilegensis. *Salseburgensis Mag*deburgensis archiepiscopi. C. Papimbergensis. S. Ratisponensis, *Imperialis aule Ca*ncellarius. Herbipolensis. *H. Wormaciensis. Episcopi. Frisingensis electus. Ab*bas sancti Galli. A. dux Saxonie. O. *meranie. et B. Karinthie duces. Comes.* H. de Hortenberc. Comes A. de Scoh*enburch Comes. Sene. Gerlacus de Butingen. G. de Bollandia. Gunrulinus. G. et C.* de Hohenloe. Pincerna de winterstet. Pincerna de Clingeburc. *Richardus Camerarius et alii quam* plures.

Signum Domini Friderici secundi Dei Gratia Inuictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti *(Monogramma)* Jerusalem et Sicilie Regis.

Ego Siffridus Ratisponensis episcopus Imperialis aule Cancellarius uice domini Siffridi Maguntini Archiepiscopi et totius Germanie Archicancellarii Recognoui.

Acta sunt hec anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo Tricesimo secundo Mense Maii quinte Indiccionis. Imperante domino nostro Fr. secundo dei gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Jerusalem et Sicilie Rege. Anno Romani Imperii eius duodecimo. Regni Jerusalem Septimo et Regni Sicilie Tricesimo quarto. feliciter Amen.

Datum aput Sibidatum in foro Julii Anno. Mense et Indictione prescriptis.

a) Sigillum illaesum appendet ex filis sericis rubri et albi coloris.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Instrumentum hocce, ex archivo Aschaffaburgensi sive Moguntino

desumtum in medio trium ultimarum contextus linearum exesum et detritum invenitur. Lacunae istae, litteris cursivis indicatae, expletae sunt partim ex copia an. 1438 per indices Moguntinae sedis facta, partim ex sequenti exemplari Wirceburgensi, bulla aurea munito, quod addere placuit ob praedictas lacunas, et ob quasdam essentiales in loco et in testibus varietates; tempore enim et loco dati instrumenti hoc istud alterum praecedit exemplar.

d) Ineditum, saltem ex hoc exemplari. Editiones ex aliis exemplaribus adducemus in num. sequenti.

DCCIX.

Anno 1232. mense Maio incipiente. apud Utinum in Foro Julii.

Fridericus II. imperator, apud Sibidatum in Foro Julii cum filio suo Heinrico VII. rege conveniens, privilegia ipsis ab eodem rege Wormatiae 1231. 1. Maii concessa, cum quibusdam modificationibus, renovat et confirmat.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et Indiuidue Trinitatis FRIDERICUS. secundus diuina fauente clemencia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et sicilie Rex. Excelsa nostri Sedes Imperij exaltatur, ac principalia moderamina regiminis in omni Justicia et pace disponimus. Cum ad nostrorum Jura Principum et Magnatum debita prouisione prospicimus. in quibus uelut honorabilibus membris insidet Caput. ita nostrum uiget et consistit Imperium, et tanta Cesaree magnitudinis moles regit et euehit quorum humeris innititur et portatur. Nouerit igitur presens etas et futura posteritas, quod in Foro Julii aput Sibidatum, una cum dilecto filio nostro. H. Romanorum Rege conuenientes. rogati per Principes et Magnates. quo-

rum ibidem diligenda nobis aderat multitudo, ut gratiam eis ab eodem Rege dilecto filio nostro in generalj Curia Wormaciensi indultam, nostre Actoritatis munimine prosequi dignaremur. dignum duximus eorum precibus fauorabiliter annuendum utpote qui non indigne in eorum promocione nostrum et Imperii statum intendimus comode promouendum. Concedimus igitur iuxta quod idem Rex filius noster noscitur concessisse ac perpetue confirmacionj donamus. Statuentes quatenus nullum nouum Castrum uel Ciuitas in fundis ecclesiarum uel occasione Aduocacie, per nos uel per quemquam alium sub pretextu quolibet construantur. Item quod Noua fora non possint antiqua aliquatenus impedire. Item nemo cogatur ad aliquod forum ire inuitus. Item Strate antique non declinentur nisi de Transeuncium uoluntate. Item in Ciuitatibus nostris nouis bannitum miliare deponatur. Item unusquisque Principum libertatibus Jurisdiccionibus, Comitatibus Centis sibi liberis uel Infeodatis utetur quiete secundum terre sue consuetudinem approbatam. Item Centumgrauij recipiant Centas a domino terre uel ab eo qui per dominum terre fuerit Infeodatus. Item locum Cente nemo mutabit sine consensu domini terre. Item ad centas nemo Sinodalis uocetur. Item Ciues qui Phalburgere dicuntur penitus eiciantur. Item Census vinj. Pecunie frumenti uel alii quos Rustici constituerunt hactenus se soluturos, relaxentur. et ulterius non recipiantur. Item Principum Nobilium et Ministerialium, ecclesiarum homines proprii in Ciuitatibus nostris non recipiantur. Item Principibus Nobilibus, Ministerialibus et Ecclesiis proprietates et feoda per Ciuitates nostras occupata restituantur. nec ulterius occupentur. Item conductum Principum per terram eorum quam de manu nostra tenent in feodo. uel per nos uel per nostros non impediemus uel infringi paciemur. Item non compellantur aliqui per Scultetos nostros ad restitucionem eorum que a longinquo tempore ab hominibus receperant, priusquam se in nostris Ciuitatibus collocarent, nisi homines ipsi fuerint Imperio inmediate subiectj. quos tenebuntur iuuare super eorum iure in foro eorum in quorum terris tallia sunt percepta. Item in Ciuitatibus nostris nullus terre dampnosus uel a Judice dampnatus uel proscriptus recipiatur scienter. Recepti conuictj

eiciantur. Item nullam nouam monetam in terra alicuius Principis cudi faciemus. per quam, moneta eiusdem Principis deterioretur. Item Ciuitates nostre Jurisdictionem suam ultra ciuitatis ambitum non extendant, nisi ad nos pertineat Jurisdiccio specialis Item in Ciuitatibus nostris actor forum rej sequatur nisi reus uel debitor principalis ibidem fuerit inuentus, quo causa ibi tenebitur respondere. Item nemo recipiat in pignore bona quibus quis infeodatus sit. sine consensu et manu domini principalis. Item ad opera Ciuitatum nullus cogatur. nisi de iure teneatur. Item homines in nostris Ciuitatibus residentes. consueta et debita Jura de bonis extra Ciuitatem suis dominis et aduocatis persoluant. neque indebitis exaccionibus molestentur. Item homines proprii Aduocaticii feodales qui ad dominos suos transire uoluerint, ad manendum per officiales nostros non artentur. Ad huius itaque Concessionis et Confirmacionis nostre memoriam et stabilem firmitatem. presens Priuilegium fieri fecimus bulla aurea Tipario nostre Maiestatis Imppressa munitum. Huius autem rej Testes sunt. S. Maguntinus Archiepiscopus. B. Patriarcha Aquilegensis... Salseburgensis. et .... Magdeburgensis Archiepiscopi. E. Papibergensis. S. Ratisponensis Imperialis aule Cancellarius.... herbipolensis. H. Wormaciensis episcopi.... frisingensis electus... Abbas sancti Gallj. A. Saxonie. O. Meranie. et B. Karinthie duces .... Marchio de Baden. Comes. H. de hortemberc. Comes Adolfus de Scohumburc Comes . . de Waldeberc. Gerllacus de Butingen. G. . et C. de hohenlloe. *Wernarus de bollandia.* Pincerna de Winterstet. Pincerna de Clingeburg Riccuardus Camerarius et alii quam plures.

Signum domini Friderici secundi dej gratia Inuictissimj Romanorum Imperatoris semper Augustj *(Monogramma)* Jerusalem et sicilie Regis.

Ego Siffridus dei gratia Ratisponensis episcopus Imperialis aule Cancellarius vice domini Siffridj Maguntini Archiepiscopi et tocius Germanie Archicancellarij recognoui.

Acta sunt hec Anno dominice Incarnacionis Millesimo ducen-

tessimo tricesimo secundo. Mense Maij quinte Indiccionis. Imperante domino nostro Fr. secundo Dej gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Jerusalem et Sicilie Rege. Anno Romani Imperii eius duodecimo. Regni Jerusalem Septimo. et Regni Sicilie Tricesimo quarto. feliciter Amen.

Datum aput Vtinum in foro Julij Anno Mense et Indictione prescriptis.

a) Bulla aurea illaesa appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Editum, ex aliis tamen exemplaribus, hinc inde, praesertim in nominibus testium, inter se, et ab exemplari hocce, ex archivo Wirceburgensi, desumto, discrepantibus, in Schannat Cod. probat. Hist. Wormat. 111. num. 21, in Ludewig Reliq. Mspt. VII. 515 — 519. cum specimine ipsius Bullae pag. 519. et cum amplissimis notis pag. 520 — 560. et in Heineccii syntagmate de sigillis 219. 220.

DCCX.

Anno 1252. mense Maio incipiente apud Utinum.

Fridericus II. imperator contractum, inter archiepiscopum Salzburgensem et Heinricum comitem de Ortemburg, de pueris, ex matrimoniis ministerialium nominatorum procreandis, aequaliter dividendis, initum, confirmat.

FR(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem. et Sicilie Rex. Per presens scriptum notum facimus vniuersis fidelibus nostris Imperij tam presentibus quam futuris.

quod. H. Comes de ortemberch dilectus fidelis noster celsitudini nostre humiliter supplicauit, ut conuentionem inter venerabilem salzemburgensem Archiepiscopum dilectum principem nostrum et ipsum, de conniuentia nostra factam videlicet ut pueri siquos filia thuringni de Steueningen Ministerialis Ecclesie predicte per Corradum de Steynenkirchen Ministerialem eiusdem Comitis, cui est in Matrimonio copulata, genuerit, inter eandem ecclesiam et ipsum equaliter diuidantur, ratam habere et confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur attendentes fidem puram et deuotionem sinceram dictj Comitis. H. fidelis nostri, predictam conuencionem inter prenominatum Archiepiscopum et ipsum factam ut predictum est ratam habemus. et de nostra gratia perpetuo confirmamus. ad hvius autem rei memoriam et perpetuam firmitatem presens scriptum inde fieri et nostre maiestatis Sigillo iussimus communiri, Anno, Mense, et Indictione subscriptis.

Datum aput Utinum anno dominice Incarnationis. Millesimo. ducentesimo, Tricesimo secundo Mense Madij. quinte Indictionis.

a) Sigillum illaesum appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Indictio convenit cum anno Chr. indicato 1232.

c) Ineditum, memoratum autem et extractum ab Huschberg in der Geschichte des Hauses Ortenburg 86, simul cum ipsa conventione in hoc instrumento laudata, facta apud civitatem (Friaul.) V. Kal. Maii (27. April) cnfr. Regesta de Lang. II. 210.

DCCXI.

Anno 1232. mense Maio. apud Portum Naonis.

Fridericus II. imperator, ad querimoniam Sifridi Ratisponensis episcopi et cancellarii, sententiam proscriptionis promulgat, latam in generali curia apud Sibidatum adversus Conradum comitem de Wasserburg et nomitos quatuordecim complices eius, spoliatores praedicti episcopi.

FR(idericus) dej gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens Scriptum notum fieri uolumus vniuersis Imperij fidelibus tam presentibus quam futuris. Quod cum dilectus Princeps noster. S. venerabilis Ratisponensis episcopus Imperialis aule Cancellarius in generali Curia aput Sibidatum presentibus Principibus Conquestus fuerit coram nobis, Conradum Comitem de Warziburg (i. e. Wasserburg). Gebehart dictus (m) Scichingera. Ottone (m) de Dedilhem. Ottone (m) de Aschowe. Karolum de Selehnebe (Selehuebe). Srendelim de Rosinheim. Siboctum de Girecke. Gerunc de Leijminigin. Conradum de Alhardingin filium Conradi foleiz et complices suos. Conradum seruum Gebehardj de Sconinstedin. Stuteim Judicem dicti Comitis Bemolt. Conradum (et) Wernardum de fulimbach. et Gulle de Amirangin eundem in Curia nostra et seruicio, aput Rauennam existentem spoliauerint quibusdam rebus. Nos ad querimoniam predicti Principis et Cancellarii nostri et quia id constitit manifeste predictos omnes Principum approbante sententia, proscripsimus. Ad Cuius proscriptionis memoriam presens Scriptum fieri iussimus Maiestatis nostre Sigillo munitum. Huius rei testes sunt. Patriarcha Aquilegensis. Salzeburgensis. Magdeburgensis et Rauennas Archiepiscopi. E. papinbergensis . . . . Herbipolensis. h. Wormaciensis. Episcopi. Abbas Sancti Gallj. A. Saxonie. O.

Meranie et B. Karinthie Duces. Marchio de baden. Comes. H. de Ortemberc. Comes. A. de holsacia. Guarnerius de hollandia. G. et C. de hohenlloc. Guzulinus Riccardus Camerarius et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo tricesimo secundo Mense Maii quinte Indictionis Imperante domino FR. secundo dej gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Jerusalem et Sicilie Rege. Anno Imperij eius duodecimo. Regni Jerusalem Septimo. et Regni sicilie tricesimo quarto feliciter A M E N.

Datum aput Portum Naonis Anno Mense et Indictione prescriptis.

a) Sigillum in omni ora et in aliqua parte imaginis nonnihil laesum appendebat ex quatuor funiculis sericis, quorum bini ex filis rubri, bini autem ex filis flavi coloris erant contexti. Jam vero, disruptis omnibus funiculis, nonnisi sola extremitate unius funiculi rubri coloris ipsam ceram penetrantis, et extremitate trium funiculorum reliquorum ceram non transmeantium, recens alligatum cernitur ipsi membranae inferius complicatae.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Editum in Ried cod. dipl. Ratisb. I. 369. n. 385. omissis tamen quatuor personis.

d) Reconciliatum postea comitem Wasserburgensem fuisse episcopo Ratisbonensi docet documentum apud Ried. I. c. 375. n. 391. a. 1235. 1. Sept.

DCCXII.

Anno 1232. mense Maio. apud Portum Naonis.

Fridericus II. imperator, ad querimoniam Herbipolensis episcopi, tunc in generali curia ex sententia principum Albertum de Entse proscribit, eo quod castrum Entse, ad ecclesiam Herbipolensem spectans, absente in servitiis imperii episcopo, violenter occupavit.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens Scriptum notum facimus vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. Quod Nobis aput Portum Naonis existentibus in sollempni Curia congregata H. venerabilis herbipolensis episcopus, dilectus Princeps noster conquerendo proposuit, quod eo in nostris et Imperii seruitiis existente Albertus de Entse Castrum de Entse ad ecclesiam suam spectans, uiolenter et contra iusticiam occupauit. Quod quia dictus venerabilis episcopus sicut debuit plene probauit, Principum et aliorum Magnatum Imperii qui presentes aderant approbante sentencia eundem Albertum duximus proscribendum. Ad huius itaque proscriptionis memoriam presens Scriptum fieri iussimus Maiestatis nostre Sigillo munitum. Huius autem rei testes sunt: B. patriarcha aquilegensis. E. papimbergensis. S. Ratisponensis Imperialis aule Cancellarius. et H. Wormaciensis episcopi. B. Karinthie Dux. Gebardus de Harnesteyn Sacri Imperii in Ytalia Legatus. Riccardus Camerarius. Tollenzarius. Merwaldus Triscamerarius. Heinricus de porta et alii quam plures.

Acta sunt hec anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo Tricesimo secundo Mense Maii quinte Indictionis. Imperante domino nostro Fr(iderico) secundo dei gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper augusto. Jerusalem et Sicilie

Rege. Anno Romani Imperii eius duodecimo. Regni Jerusalem. Septimo. et Regni Sicilie Tricesimo quarto feliciter Amen.

Datum apud portum Naonis. Anno Mense et Indictione prescriptis.

a) Sigillum appensum periit; remansit sola pars quaedam filorum sericorum rubri coloris, sed disruptorum, membranae inferius complicatae inuexa.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Editum à Jäger in der Gesch. Frankenlands III. 369. num. 30.

DCCXIII.

Anno 1232. 1. Julii. apud Egram.

Heinricus VII. rex cives Ratisbonenses, sub quibusdam conditionibus, in gratiam suam se recepturum fore, promittit, condonatis eis iniuria ac temeritate ab eis in se factis.

H. (einricus) dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. Dilectis fidelibus suis. Judicibus Consilio et vniuersis ciuibus Ratisponensibus Gratiam suam et omne bonum. Ex mansuetudine nostre paciencie quam habere uolumus ad benignos. et deuotos. indulssimus uobis multiplices excessus vestros quos commisistis temeriter (in) iniuriam nominis nostri. licet uberiorem uindictam reffundere possemus in quosdam conciues consorcii vestri quorum nomina congnouimus et uos cognouistis. qui inpediuerunt cum nequiter tum potenter quod a consorcio vniuersitatis vestre non preueniebamur condignis honoribus immo a uobis recessimus ultimo nec tamquam Rex et dominus vester nec exhibitis hiis in

modicis nobis uel in magnis que utriusque competerent honestati. Statuimus igitur pro pena et uindicta eisdem quos una uobiscum nocentes cognouimus in premissis. ut de pecunia nobis promissa soluant quemadmodum ex deliberacione vestri consilii eisdem cum fuerint auctores ingnominie nobis illate. duxeritis inponendum et si recusauerint inposita ipsis se non daturos. excludimus ipsos a gratia nostra quam non consequentur nisi soluant de pecunia nobis datura ipsis inposita et iniuncta. et tamen uobis precipimus per gratiam nostram. ut ipsos ad id compellatis. nichilominus ipsos a vestro consorcio excludentes. tamquam friuolos nostros et Imperii et contumaces. vendicando bona ipsorum nostre potestati. Datum apud Egram kalendis Jul. Indict. V[a].

a) Sigillum, quod appendebat, periit cum ipso segmento membranaceo, cuius indicium remansit, incisio membranae.

b) Annum Chr. non expressum ostendit Indictio.

c) Editum a Gemeiner in der Regensb. Stadtchronik I. 329. 330. in nota.

d) Desumtum ex archivo ordinis Praedicatorum Ratisbonae.

DCCXIV.

Anno 1232. 1. Jul. apud Egram.

Heinricus VII. rex cives Ratisbonenses in gratiam suam iterum recipiens, per nuncios eorum modum eis praescribit, quo ex sententia principum pro temeritate eorum in se facta satisfaciant.

H. (einricus) dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. Dilectis fidelibus suis. Judicibus Consilio et vniuersis ciuibus Ra-

tisponensibus. Gratiam suam et omne bonum. Ammouimus funditus a corde nostro iram, odium et rancorem quem pro multiplicibus excessibus contra uos conceperamus. dantes uobis gratiam nostram quemadmodum vestri nuncii vobis dicent uiua uoce. ad quorum instantem requisicionem talis coram nobis lata est sententia et ab omnibus principibus et magnatibus Imperii approbata. quod quilibet vendens et emens et nomen mercatoris habens. promissam nobis pecuniam proporcionaliter solueret quam daturi estis pro recuperacione gratie nostre. et quicunque recuset dare de promissa nobis pecunia partem que ipsum contigit. et sicut ipsi fuerit inpositum. quod exclusus sit a gratia nostre maiestatis, et tamen compellatur manu forti ad dandum quod ipsi dinoscitur inpositum. et proinde res sue nostre vendicentur potestati. Statuimus igitur et sub interminacione gratie nostre precipimus firmissime. ut si sunt aliqui qui in huiusmodi se uelint eximere seruiciis vniuersitati vestre inpositis. quod tales a vestro consorcio et collegio excludatis, ut pro temeritate nobis facta in res et personam ipsorum uindictam condignam reffundamus. Nolumus esse exemptos a seruiciis nobis promissis qui censeri poterunt nominibus mercatorum. Datum apud Egram. Kalend. Julii. Indictione V.

a) Sigillum, quod appendet ex segmento membranaceo, fractum est in tres partes, tertia parte deperdita.

b) Annum Chr. non expressum ostendit Indictio.

c) Ineditum, memoratum autem a Gemeiner in der Regensb. Stadtchronik I. 330. in nota.

DCCXV.

Anno 1232. 19. Octob. apud Nvorenberc.

Heinricus VII. rex monasterio Caesariensi donationem Ministerialis sui, Heinrici de Kallindin, de quatuor nominatis praediis illuc factam, confirmat.

HEinricus septimus diuina fauente clementia Romanorum Rex et semper Augustus. Deo creatori nostro gratum et placens prestare non ambigimus obsequium. si loca diuino cultuj mancipata. curauerimus ampliare. et eorum promotionj ac defensioni intenderimus cum effectu. Qua de Re nouerint tam presens etas quam successura posteritas. quod nos de plena cognouimus ueritate. et multorum ueridico ex relatu et ex literis et confirmatione Serenissimi domini Imperatoris patris nostri coram nobis lecta. quod ministerialis noster Heinricus de kallindin et vxor sua Bena pari uoto et animo concordi Monasterio Cesariensi vniuersa bona et predia que habebant apud Egewilr. Vebermvotshouen. Wezelsheim. Wachsteine. et Volperstetin. contradiderunt et contulerunt libere tenenda et perpetuo possidenda tali tamen condicto uidelicet et pacto quod annuatim ab eisdem bonis libram cere pro censu persoluatur ecclesie memorate. et si alterum ipsorum premori contingat. superstes predia. pro eodem censu dum uixerit. obtinebit. et ambobus defunctis. eadem predia Monasterium libere et absque contradictione qualibet possidebit. Hoc etiam pacto interposito quod si uiro mortuo dicta Bena superuixerit. ipsa bona pro censu prenotato ad eius uite terminum obtinebit. et si forsan uiro alio superducto generabit pueros et heredes. Hij in prelibatis bonis. nullam hereditatem uel iusticiam habebunt hereditandi nec alicuius ingenij scrupulo ea poterunt ab ecclesia alienare. Regia igitur auctoritate nostra et legali sanctione supradictam donationem ecclesie cesariensis duximus confirmandam. Mandantes et sub interminatione gratie nostre districte precipien-

tes. ut nulla umquam persona humilis uel alta ecclesiastica uel mundana. huic confirmationi nostre uel donationi antefate contraire audeat. aut eam aliquo presumat ingenio infirmare. Quod qui facere presumpserit. omnipotentis dei indignationem nostreque celsitudinis gravissimam offensam se nouerit incursurum. Testes hii sunt. H. Marchio de baden. Comes Heinricus de ortenberc. fridericus de truhendingen. E. Dapifer de walpurc. C. pincerna de winterstetin. Albertus Rindsmulus. L. et L. fratres de Grindelach. Ludewicus de Schipsse (Schipffe). Eberhardus de hertingisperge. Heinricus spisarius de Giselingen. Dietherus de Egra. Rvdegerus de wolprands. Hostiarij et alij quam plures.

Actum apud Nvorenberc Anno dominice incarnationis Millesimo CC^{o}. xxxii^{do}. Quarto decimo kalend. Nouembris, Indict. Sexta.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansit pars superior filorum disruptorum sericorum violacei, albi et flavi coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio, caesarea, respondet anno Chr. expresso.

c) Ineditum.

DCCXVI.

Anno 1233. 13. Februar. Nuorenberc.

Heinricus VII. rex fratribus domus Teutonicorum in Nuorenberc emtionem praediorum in Kapfesdorf et Urach, a socru Craftonis de Lare illi venditorum, in praesentia sua factam, ex plenitudine totius consilii sui confirmat.

Heinricus septimus diuina fauente clementia Romanorum Rex et semper augustus vniuersis in perpetuum. Quanto fratres domus

teutonicorum deuotos nostros in ipsorum empcionibus solidamus. tanto propensiori et uberiori studio ipsos ad nostrum et inperii obsequium inuitamus. Meminerint igitur presentes et futuri quod socrus Craftonis de lare vendidit cum omni iure fratribus domus teutonicorum in Nvorenberc duo sua predia. unum situm in Kapfesdorf. et alterum situm in vrach. et nos ipsi uendicioni et emptioni adhibuimus et adhibemus plenum assensum nostrum. cum in presentia nostra facta fuerit. et per manus nostras. et ex plenitudine tocius nostri consilij ipsam emptionem eidem domui confirmamus. ut in perpetuum ipsa bona possideat cum omnibus adpendicijs suis pleno iure. ad remouendam igitur omnem ambiguitatem que suboriri poterit propter temporum decursum et labilem hominum memoriam presentem litteram memorate domui indulsimus sigilli nostri munimine communitam. testes sunt hii. frater Cunradus de Micheluelt. Ruodolfus frater hospitalis Sancti iohannis. Ludewicus de offenhein. Lupoldus scultetus in Rotenburc. schade de lare. Krafto de lare. Alwic scultetus. Eberwinus in Rotenburc. Cunradus buttiglarius in Nvorenberc. Cunradus bigenot. Cunradus iudeus. Ulricus turbreche. scultetus qui dicitur anguilla. dietricus de wizenburc. Cunradus de wizenburc. berhtolt schuteloc. Lupoldus spete. spiser. heinrich huonlin Heinrich Tivfellin burkardus de Ruotmarsberge. sibot hake. Gize. heinrich maritus filiae huonlini. Junior schieko. sifrit Goldener. Eberhardus de gunzelinesrute. herman de osternach. et ipsius domine (a) mater. Et alij quam plures. Actum apud Nuorenberc. Anno domini. M. cc. xxx°. iii°. Idus (Idibus) februarij. Indictione. vi^{ta}.

a) Sigillum, in ora superiori dextra nonnihil laesum, de caetero integrum et bene expressum, appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris.

b) Indictio convenit cum anno Chr. indicato.

c) Ineditum.

DCCXVII.

Anno 1233. 15. Februarii. apud Nurembergam.

Heinricus VII. rex Siffrido Ratisponensi episcopo et imperialis aulae cancellario, propter servitia sibi et genitori suo Friderico II. imperatori exhibita, concedit et donat ad vitam eius omnes proventus, iurisdictiones et usuagia, ex Iudeis in Ratispona degentibus et ad suam et imperii cameram spectantibus.

(Chrismon.) In nomine sancte et individue trinitatis. Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum Rex et Semper Augustus. [illegible]

tur. Ad huius itaque gratitudinis et Rati memoriam presentem litteram conscribi et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Huius rei testes sunt. Cvonradus de Smideluelt. Eberhardus de Hertingisperge. Heinricus inter latinos. Albertus triscamerarius de Rabinstaine. Hawardus de Holtzswanc. Rvdolfus de fvenenberc. et alii quam plures. Actum anno dominice incarnationis Millesimo. Ducentesimo tricesimo tercio. xiiii. Kalendas Marcij. Indictione vi[a]. Regnante domino Heinrico Romanorum Rege Illustrissimo. Anno Regni eius vndecimo.

Signum domini heinrici septimi dei gratia inuictissimi Romanorum Regis semper augusti.

Datum apud Nvorenberc Anno. Mense et Indictione pretitulatis.

a) Sigillum illaesum appendet ex filis sericis rubri et subflavi coloris.

b) Monogramma regis annunciatum quidem est, sed non expressum sive inscriptum, licet spatium illi haud desit.

c) Notae chronologicae inter se concordant, ex quibus annus regni numeratus est a die coronationis 8. Maii 1222.

d) Editum in Ried. Cod. dipl. Ratisb. I. 371. num. 387.

DCCXVIII.

Anno 1233. circa 30. Mart. Werdae.

Henricus VII. rex fratribus minoribus in Ratispona et ecclesiae eorum, nimirum S. Salvatoris, duo horrea, in vicinitate sita, donat.

Heinricus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Omnibus in perpetuum. Cum ex dignitate regie maiestatjs qua deo fauente fungimur sacras teneamur religiones plantare. plantatas eciam non minus protegere ac fouere. considerantes necessitudinem. nec non et periculum quod euidenter patuit habitationi dilectorum pauperum Christi et nostrorum fratrum videlicet minorum in Ratispona commorantium. ex vicinitate duorum horreorum que ipsi fratres fatentur vix ad septem pedum sita distantiam. gratiam nostram quam facere et alijs consveuimus sacrosanctis ordinibus et ipsis subtrahere non possumus nec debemus. Notum igitur sit omnibus tam presentibus quam posteris quod proprietatem horreorum predictorum et fundi et aree. ecclesie saluatoris nostri in Ratispona. in qua supradicti fratres domino famulantur perpetuo contulimus adherendam. Vt autem hec nostra donatio in irritum non reuocetur stabilis vero ac firma permaneat. volumus eam presenti pagina et sigilli nostri munimine roborari. Datum Werde anno incarnationis dominice. M°. cc°. xxxııj°. Indictione (VI.).

a) Sigillum, quod appendebat, periit cum segmento membranaceo, cui praeparata incisio dupplex in membrana inferius complicata appendendi sigilli indicium est, sicuti illud appensum esse probat locus inter utramque incisionem conspicuus, segmento isto olim contectus, qui pristinum candorem retinuit, quem reliqua membrana ex vetustate amisit.

b) Indictioni locus vacuus relictus est, hoc est, vocabulo: Indictione, numerus non est additus. Nec mensis aut dies est expressus. Cum vero donatio ista cum alia donatione, tertia Januarii huius anni Minoritis Ratisponae ab Alberto comite de Bogen facta cohaereat, illam ad menses sequentes Februarium aut Martium pertinere verisimile est: Werdae autem rex fuit III. Kal. April. (30. Mart.) huius anni: vid. Regesta de Lang II. 218.

c) Ineditum.

DCCXIX.

Anno 1233. 2. Junii. apud Esselingen.

Heinricus VII. rex cives Spirenses, ad petitionem Cunradi Spirensis episcopi, ab exactione thelonei in Oppenheim liberat.

H. (einricus) dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. Uniuersis Imperii fidelibus quibus presens scriptum exhibitum fuerit. Graciam suam et omne bonum. Ex insinuatione presentium. peruenire cupimus ad notitiam uniuersorum. quod nos ad instantiam et petitionem dilecti principis nostri. Cunradi. Spirensis Episcopi. fidelibus Ciuibus nostris. spirensibus. necnon propter deuota obsequia eorundem. que nobis et imperio sepius exhibuerunt. et exhibent incessanter. talem gratiam fecimus. de mera benignitate Regia. ut absque qualibet exactione telonei. cum bonis suis. apud Oppenheim transeant. in descensu et ascensu. libere et quiete. Quapropter Auctoritate Regia et sub obtentu gracie nostre districte precipimus quatinus nullus ausu ductus temerario apud locum memoratum. a bonis ciuium prelibatorum. exactionem thelonei requirere presumat. Quod qui attemptauerit grauem offensam nostre celsitudinis se nouerit incurrisse. Ad maiorem itaque euidentiam premisse nostre donationis sepefatis nostris Ciuibus. pre-

sentem paginam. Sigillo nostre celsitudinis communitam. iussimus exhiberi. Testes qui interfuerunt hii sunt. H. Marchio de Baden. Comes H. de Wirtinberc. H. nifarius. C. Dapifer de Walpurc. C. Pincerna de Winterstete. H. de Ravenspurc. Fenebere. Et alii quam plures. Datum apud Ehelingen (Esslingen) Anno dominice incarnationis. M°. cc°. xxx°. tercio Quarto Non. Junii. Indictione. sexta.

a) Sigillum appendet laesum.

b) Indictio respondet anno Chr. expresso.

c) Editum in Lehmanni Speyrische Chronick 525. et in Lünig Reichsarchiv Part. spec. contin. IV. Theil II. sive operis Tom. XIV. 415. conf. Kremer [illegible] C. 517. qui sub hoc die laudat „Archiv von Stuttgart."

d) Ex archivo civitatis Spirensis [illegible]

DCCXX.

Anno 1234. 17 Februar. Frankenfurt.

Henricus rex testatur et ratum habet, quod Conradus pincerna de Winterstetten episcopo Ratisponensi de praedio suo in [illegible] VI. libras Augustenses monetae resignaverit de manu episcopi pro feudo recipiendas.

Henricus dei gratia Romanorum Rex semper augustus. universis fidelibus suis presens scriptum intuentibus gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium notum esse volumus universis [illegible] fidelis noster C. pincerna de Winterstetten dilecto principi nostro venerabili Ratisponensi Episcopo imperialis aule Can-

cellario de predio suo in Hvsen sex librarum Augustensis monete redditus resignauit. et in presentia nostra contradidit. quos de manu sua pro feodo recepit. ita quod ipse et heredes sui a prefato Episcopo et a successoribus suis eosdem redditus feodali iure debeant possidere. Et ut hec rata et firma permaneant. sigilli nostri appositione presentem paginam fecimus communiri. Datum Franchenfvrt XIII. Kal. Marcii. Indictione Septima.

a) Sigillum, in ora superiori ac inferiori nonnihil laesum, appendet ex segmento membranaceo.

b) Annus Chr. non expressus per Indictionem absque ambiguitate cognoscitur.

c) Editum in Ried. Cod. dipl. Ratisb. I. 374. num. 390.

DCCXXI.

Anno 1234. 15. August. apud Nuorinberc.

Heinricus VII. rex super lite inter ecclesiam Halisbrunnensem et viduam Cuonradi de Anindorf, de bonis quibusdam, coram Heinrico de Niffin cognita, sententiam fert, ut filius viduae ipsa bona tantum ad dies vitae teneat, et pro illis annuatim LX denarios ecclesiae solvat.

H. (einricus) dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. vniuersis Imperii fidelibus quibus presens litera fuerit ostensa. Gratiam suam et omne bonum. Cum inter ecclesiam nostram Halisbrunnin, et relictam Cvonradi de anindorf. pro quibusdam bonis sitis anindorf Lis et questio verteretur. coram nobis et Heinrico de Niffin. quem ad cognoscendam causam deputaueramus. sic exstitit diffinitum. quod filius eius . . ipsa bona teneat

ad tempora vite sue. et ipsa ecclesia singulis annis de ipsis bonis in festo martini recipiat LX denarios pro possessione. et sic defuncto ipso filio ipsa bona cum integritate redeant ad usus ecclesie prenotate, et si habuerit heredes ipsis bonis non succedant. Ad hec protestamur. quod prelibatus. . ipsa bona non habet auctoritatem obligandi uel infeodandi seu alienandi ab ecclesia antefata et si factum fuerit tenore presencium reuocamus et decernimus non valere. Huius itaque facti Testes sunt. Ebirh. (Eberhardus) de monte. Heinricus de monte. Burchardus de witansdorf. Cvonradus de Festinberc. Heinricus de Gisilingin. Heinricus de vendibach. C. Butiglarius de Nuorinberc Cvonradus Biginot. Hermannus filius suus. Bertholdus scutcloch. et alii quamplures.

Actum apud Nvorinberc anno domini millesimo Ducentesimo Tricessimo Quarto. XVIII. Kal. Septembris. Indictione VII[b].

a) Sigillum, quod appendebat, periit, remanente segmento membranaceo cum macula cerae eidem inusta.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

*) Editum in Wölkern Histor. Norimb. Diplom. II. 95. num. 9. et in Schütz corp. hist. Brandenb. sylloge 71. num. 54., ubique tamen omissis quatuor primis testibus, qui etiam desunt in libro cop. c. annum 1364. n. 4., suppleti tamen ibi manu noviori in margine.

DCCXXII.

Anno 1234. 30. Auguet. apud Nuoerinberg.

Heinricus VII. rex Ulrico praeposito et fratribus sanctae crucis apud Augustam renovat litteras et concessiones Philippi regis, quas inserit.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Heinricus septimus diuina fauente clementia romanorum rex et semper augustus.

Sicut ea que per culminis nostri eminentiam geruntur uel gesta fuerint rationabiliter desideramus a nostris successoribus obseruari. ita predecessorum nostrorum acta nostris temporibus stabilire uolumus. ne per nos uel per aliquem ualeant inmutari. Accedens ad presentiam nostram. Volricus. honorabilis prepositus uiuifice crucis apud Augustam. tam pro se quam pro fratribus eiusdem monasterii supplicauit humiliter. ut priuilegium siue obligationem factam. per litteras diue. recordationis. philippi Regis Consanguinei nostri confirmare et renouare de benignitate regia dignaremur. Nos itaque eorum precibus inclinati. literas easdem de uerbo ad uerbum presenti pagine duximus inserendas. cuius (quarum) tenor talis est. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Philippus. secundus diuina fauente clementia Romanorum Rex et semper Augustus. (vid. diploma an. 1200. 28. Jul. ex authographo). Nos itaque attendentes paupertatem monasterii prelibati. prelibato preposito et fratribus uiuifice Crucis apud Augustam. obligationem. et concessionem factam eisdem. auctoritate regia confirmamus. et presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut nulla umquam persona humilis uel alta. ecclesiastica uel mundana. predictos prepositum et fratres ecclesie prenotate presumat super obligatione et concessione. ac nostra huiusmodi confirmatione. uel audeat impedire. Quod qui fecerit. indignationem dei. nostreque celsitudinis grauissimam offensam se nouerit

[illegible]urum. Vt autem presens pagina inuiolabilis conseruetur. ipsam sigillo nostro celsitudinis fecimus roborari. Testes sunt hii Archiepiscopus Maguntinus. Eggebertus babenbergensis. Heinricus Eistetensis episcopi. heinricus Marchio de burgoue. Comes Egeno de Vriburg. Comes hartmannus de Quiburg. Comes Ruodolfus de Rapurehtswilar Heinricus de Niffen. et alii quam plures. Signum. Domini Heinrici. Dei Gratia Romanorum Regis inuictissimi (Monogramma) acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXIIII. Regnante domino heinrico. Gloriosissimo Romanorum rege. Tercio kalend. Septembris. Indictione Septima. Datum apud Nurenberg. anno [illegible] prenotatis feliciter amen.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

XXXI.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

menta in nobis continua sentiamus. merito illi quod in nobis est deuote impendimus ut loca diuino cultui. et pauperum sustentationibus mancipata. munificentie nostre beneficiis augeamus. Nouerit igitur tam presens etas. quam successura posteritas. quod nos attendentes preclara obsequia que dilecti fideles nostri. fratres domus Theotunicorum sancte Marie in ierusalem. nobis et imperio exhibent incessanter. ob reuerentiam intemerate uirginis matris domini. cessione. quam dilectus fidelis noster Conradus Burcgrauius de Nuerenberg fecit liberaliter in manus nostras. recepta. de Molendino apud Nuerenberc sito inter salices et campum. extendens se a ciuitate Nurenberg usque ad domum leprosorum in inferiori parte strate. de orto sito apud dictum molendinum. de Molendino apud vischbah. et de molendino dicto vulgariter Liubmannismuole. predicta molendina et ortum prenotatum. hospitali sancte Marie domus Theotunicorum apud Nuerinberg. in remedium anime nostre et successorum nostrorum Regum et imperatorum dedimus et concessimus cum omnibus suis pertinentiis possidenda. Statuentes et auctoritate Regia firmiter precipientes. ut nulla umquam persona humilis uel alta. ecclesiastica uel mundana. hanc nostre donationis et concessionis paginam. presumat. infringere uel ei ausu temerario contraire. Quod qui fecerit. indignationem dei nostreque celsitudinis grauissimam offensam. se nouerit incursurum. Vt autem presens donatio et concessio facta tam per nos. quam per Burcgrauium supradictum eidem hospitali et fratribus apud Nuerinberg inuiolabilis obseruetur. presentem paginam sigillo nostre celsitudinis. fecimus roborari. Testes huius rei sunt. Sypheridus venerabilis Maguntinus Archiepiscopus. Eggebertus babenbergensis. heinricus Eistetensis Episcopi. heinricus Marchio de burgove. Comes Egeno de vriburg. Comes hartmanus de Quiburg. Comes Ruodolfus de Raprehtswilar. heinricus de Niffen. heinricus de Rauenspurg imperialis Aule Camerarius. heinricus Marchalcus (Marschalcus) de Babbenhein. et alii quam plures. Datum Apud Nuerinberg. Anno dominice incarnationis. M°ccxxxiiij°. Tercio Kalendas Septembris. Indictione Septima.

[illegible]

[illegible]

DCCXXIV.

[illegible]

[illegible] et [illegible] quod [illegible]

H[illegible] Semper Augustus [illegible] et [illegible] et [illegible]

rebus uel iuribus uestris vos vel ipsos in aliquo impediri. Insuper in omnibus in quibus nobis iuramenta et promissiones facte sunt promittimus vos et ipsos iuvare. defendere et assistere fideliter sicut a vobis et ab ipsis predicta volumus obseruari. nec ulterius iuramentis vel promissionibus eos grauabimus. nec ea ulterius petemus. ita quod ea per consequentiam pro consuetudine ullo modo exigamus. sed ea ultra instantem necessitatem extendi nolumus vllo modo. Recepimus etiam vos cum vniuerso clero uestro barones. ministeriales. et Ciues uestros uniuersos et singulos sub nostram protectionem et gratiam specialem volentes ivra Ecclesie uestre et libertates ab Antiquo concessas. et priuilegia ab antecessoribus nostris et a nobis obtenta. et inposterum obtinenda, inuiolabiliter obseruare. Adicientes quod ciues in Wirceburg nostra gratia gaudeant pleniore. et sub nostro conductu in eorum negotiationibus liberi transeant et securi. nec pro aliquo homine detineantur aut bona ipsorum siue occasione uestra. siue occasione alterius cuiuslibet hominis occupentur. Volumus autem ut familiaritas inter nos et ecclesiam uestram totam, nunc contracta et preterea gratia et libertates que superius sunt expressa (expressae) etiam exspirantibus promissionibus et iuramentis sit (sint) inuiolabilis (inviolabiles) et perpetuo ualitatura (valiturae). Et ut hec superscripta omnibus pateant et vobis et clero uestro et Judeis ac uniuersitati tocius ciuitatis uestre a nobis et a successoribus nostris inuiolabiliter obseruentur, vobis et ipsis presens super hoc scriptum concedimus sigilli nostri robore communitum. Testes. Otto prepositus. Arnoldus decanus. Fridericus cantor. Thegenhardus Scolasticus et imperialis aule prothonotarius. fridericus de Grindelah. Arnoldus camerarius. Albertus cellerarius (et) Arnoldus fratres de zabelstein. Godefridus Kijsilingus canonici maioris ecclesie. Magister Hermannus scriptor. Magister Reinboldus. Magister Eberhardus canonici noui monasterij. Laici. Otto de Botenlovben. Rvopertus de Kastele. Boppo de wertheim. Gebehardus de Hirzberc. Comites. Cvonradus burgrauius de Nvorinberc. Manegoldus de Wiltperc. Krafto de Schillingisuirst. Vlricus de Kungestein. Werneto filius suus. Lvpoldus et Eberhardus fratres de Grindelah. Rindesmule de

Grundesberc. Hermannus Rindismule. Walpoto de Zverenze. Albertus de Ruchesdorf. Erkenbertus de Butindorf. Svigerus et Eberhardus fratres de Oberbach. Walpertus Torso. fridericus de Krense sculteti. Heinricus wolfoldus. Ekkehardus pullus. Godefridus camerarius. Johannes pincerna. Heinricus dapifer. Heinricus wolfmari. Marquardus orphanus. Marquardus cruso. Godefridus et Herbordus. et Richalmus hacones et alii quam plures. Data Herpipoli Anno domini. M^{o}. cc^{o}. xxx^{mo}. iiij^{to}. xiiij^{a}. Kalendas Decembris. Indictione viij^{a}.

a) Sigillum, in parte sinistra et in omni ora laesum, appendet ex filis sericis rubri et subflavi coloris. Laesione autem praedicta pleraeque inscriptionis in circuitu imaginis litterae, et inscriptionis in area ultimum vocabulum perierunt.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno indicato.

c) Ineditum, memoratum autem a Frisio apud Ludewig Geschschr. v. Wirzb. 558.

DCCXXV.

Anno 1234. 21. Novemb. Hougae.

Heinricus VII. rex, ad querelam Hermanni episcopi Herbipolensis, diversis iuribus in villis Damphesdorf, Urheim, Bernheim, Huttenheim et in aliis pluribus, renuncians, reservans tamen iura in villa Gochesheim, omnibus scultetis et officiatis, in specie Wilhelmo de Wimpina, Putiglario de Nurenberg, Rotenburg, Hallis, Swinfurthe, Kungesberg, et Lenkersheim, praecipit, ut ab omni gravamine abstineant.

In nomine domini Amen. Heinricus dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus dilectis fidelibus suis. Willehelmo de winpina . . Putiglario de Nurenberg . . In Rotenburg . . In hallis . . In Swinfurthe . . In Kungesberg et . . In Lenkersheim Scultetis et Aliis officiatis suis gratiam suam et omne bonum. Cum dilectus venerabilis princeps noster dominus Hermannus herbipolensis Episcopus pluries sit conquestus, se et suos per uos in multis fatigari et impediri. videlicet in iurisdictione sua et in villis Damphesdorf, Gochesheim, Vrheim, Bernheim, hutenheim, et in aliis pluribus villis sibi et Ecclesie sue attinentibus in seruicio speciali. In villa Tutensteten in qua forense signum est erectum contra nostra statuta. In moneta aput Swinfurth. In strata ibidem, que declinatur contra jus. In Centis quibuslibet Ducatus ipsius que mutantur et impediuntur. In vocationibus personarum synodalium. ad ciuitates nostras et ad centas. In Censu rusticorum qui adhuc recipitur. In foro aput Windesheim quod hactenus impeditum est. In pignoracionibus que fiunt extra ciuitates nostras in ducatum (ducatu) ipsius. In judicio de feodis et proprietatibus quod uobis assumitis. In detencionibus clericorum quos compellitis stare Judicio seculari. In exactionibus fac-

tis in cenobiis. In hominibus qui tenentur in ciuitatibus. In Judicio et placitis generalibus que in quibusdam locis indicitis. et in omnibus libertatibus jurisdictionibus et juribus, suis, et suorum, que diminuere uidemini. Nos intuentes ipsius fidelia obsequia que nobis exhibuit et exhibet incessanter, renunciamus omni exactioni et Impedimento quolibet (cuilibet) quod per uos, et nostros, hucusque habuit. et recognoscimus villas notatas sue Ecclesie attinere. et ipsum in possessionem mittimus earundem. et renunciamus monete in Swinfurth. signa forensia in villa tutensteten, et alibi, deponi remota ambiguitate qualibet statuentes. et uos vniuersos, et singulos, et alios nostros homines ab hactenus Sibi illatis iniuriis et gr uaminibus per optentum gratie nostre compescentes. Mandamusaigitur auctoritate Regia firmissime vobis precipientes. quatinus dictum principem nostrum. Ecclesiam suam et omnes jurisdictionis sue homines. in libertatibus et omnibus eorum juribus Amplius non grauctis. sicut Regiam diligitis gratiam specialem. scituri quod quicumque vestrum contra huiusmodi mandatum eum, uel suos, turbare presumserit offensam lese senciet maiestatis. Et uolumus ut per sentencias coherceat omnes, vniuersos, et singulos, qui ei Ecclesie sue, aut suis lesiones intulerint aut procurant. Reseruamus autem nobis jus quod in villa Gocheshcim ab antiquo dinoscimur habuisse. Et ut huius renunciacionis et recognicionis pagina et memoria futuris temporibus habeatur. et ei et Eclesie sue que superius sunt expressa inuiolabiliter obseruentur. presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus Roborari. Data Houge Anno domini M°. cc°. xxxiiij^to xi Kalendas Decembris Indictione Octaua.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansit pars filorum sericorum, sed disruptorum, rubri et subflavi coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno Ch. indicato, 1234.

c) Editum in Leukfeld antiquit. Poeldens. 257, in Lünig parte speciali, contin. I. Fortsetzung III. sive operis Tom. VII. 323. sed

erron. ad 23. Novemb. et Kraus antiquit. historiae Francon. III. 283. memoratum etiam ex Leukfeld ap. Pfeffinger ad Vitriarium I. 1180.

—

DCCXXVI.

Anno 1234. 23. Novembr. In civitate Herbipolensi.

Heinricus VII. rex ecclesiae S. Johannis in Houge ordinationem Embrichonis Wirziburgensis olim episcopi, anno MCXXX statutam, renovando confirmat; vi cuius, mandante rege Lvthario, excessus Regenhardi de Ense, advocati praefatae ecclesiae in villis diversis, in pago Badengowe sitis, removentur, et ipsi et haeredibus eius tantum ex gratia certa quantitas servitiorum, sub anathemate, relinquitur.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue trinitatis. H. (einricus) dei gratia Romanorum rex et semper augustus omnibus in perpetuum. Notum esse uolumus tam presentibus quam futuris quod nos priuilegium et ordinationem siue statutum Embrichonis bone memorie quondam herbjpolensis. episcopi quod datum erat ecclesie sancti Johannis In hovge et preposito et canonicis eiusdem loci legi fecimus coram nobis. cuius tenor talis est. (*Chrismon*): „jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. EMBRIcho Wir„ziburgensis episcopus omnibus Christi fidelibus salutem. Omni„bus tam presentis quam future etatis hominibus. notum esse uo„lumus qualiter quidam. Regenhardus de ense uidelicet. aduoca„tus fratrum de sancto Johanne in badengowe bona eorum Cuo„nengeshouen. Wolfgiseshusen. harischesheim. Rodericheshusen. „hopfertat. (Hopferstat) Gnozestat Hoenstat. Osenwrt. Acco„lueshusen. Eschlihesheim. per quasdam Insolentes exacciones et „subtiles adinuentiones quas ipse abusiue iusticias appellauit. adeo

„destruxerat. et funditus adnichilauerat. ut prefatum collegium cot-„tidiano stipendio. suo penitus careret. etiam ita exterioribus de-„structis et adnichillatis in ecclesia beati Johannis diuinum serui-„tium ex inopia rerum et personarum fere per omnia cessare ce-„perat. Tandem uero predictj fratres graues et indeficientes que-„rimonias de aduocato suo. Regenhardo uidelicet. et coram nobis. „et ad ultimum coram rege luothario mouere ceperunt et eum „jncessanter jn ius. et in causam. suas jniurias expostulando tra-„xerunt. Rex autem luotharius deum et iusticiam in causa fra-„trum supranominatorum animaduertens et amplectens. nobis sub „obtentu gratie sue precepit. quod bona et fratres sancti Johan-„nis a predicto aduocato. jmmo destructore penitus absolueremus. „Unde prefatum Regenhardum statuto loco et die et datis legiti-„mis indutijs sub tercio edicto uocauimus. Qui dum sibi pericu-„lum imminere cognouit. ad terciam uocationem senio et infirmi-„tate confectus uenit. sed de omnibus sibi obiectjs se nullatenus „defendere potuit jn tantum quod aduocatja per ceteros inbene-„ficiatos nostros ej in instanti abiudicarj debuit. Cum uero con-„uictus. se defensionem iuris et firmamentum cause perdidisse „conspexit ad preces et supplicationes se conuertit. humiliter ro-„gans quod etati sue parcere uellemus et quod aliquem honorem „ut de jure taccamus jn aduocatja prefata ei confratribus nostrjs „sancti Johannis recognosceremus uidelicet quod saltem nudum „seruitjum aduocatis ab antiquo ad honorem et modicam exspen-„sam constitutum ei omni anno relinqueremus et si ipse de ce-„tero uel heredes uel posteri sui eandem aduocatiam adepturj su-„pra hoc statutum aliquid exigerent uel dampni (dampnum) co-„lonis inferrent aduocatiam sine omni recuperatione perderent. „Communi itaque consilio ecclesie nostre et concessione fratrum „sancti Johannis et pro precibus et peticione jnbeneficiatorum et „ministerialiorum (ministerialium) nostrorum statuimus quod pre-„fato Regenhardo sex talenta de preposito sancti Johannis uel „eius dispensatore pro seruitio suo nudo sibi relicto darentur. „jta uidelicet quod in unoquoque placito suo duo talenta recipe-„ret et tres Karratas lignorum. unam de arjdis et duas de uiri-„dibus et quod tres culcitre et duo puluinaria per triduum sibi ac-

„accommodarentur. Siquis igitur hoc statutum jn posterum infrin-„gere uel infirmare presumserit. Auctoritate beati petri et nostra „perpetuo anathematj subiaceat et uisionem uere et eterne lucis „nisi cito resipiscat amittat. Ut autem presens pagina firmamen-„tum et auctoritatem a nobis apud omnes successores nostros op-„tineat eam impressione sigilli nostrj signauimus et ei perpe-„petuum robur multitudine testium prescriptorum dedimus. Te-„stes Acte rei uiri probabiles hii sunt. Octo (Otto) prepositus. bru-„prepositus. sigefridus prepositus. Conradus prepositus. Babo „decanus. Humbret. decanus. Wortwinus decanus. Gebehar-„dus. Berengerus. Swjbodo. Wortwin. Marholt. Winant. Be-„renger. Embricho. Adelbero. Adelrat. dietmar. Liberi. Go-„debolt. Comes. et filii eius. Boppo. Ruopreit. Erkenbreit. „Gozwin. Otto. Conrat. Gerwich Burkart et fratres eius. hein-„rich. Burkart. Conrat. Ministeriales. Eispreit. lupper (Lu-„pert). Eber (Eberhard). et Alii quam plures. Acta. dominice „jncarnationis anno. M°. c°. xxx°. Indictione. v.ı ı.ı. Regnante „glorioso Romanorum Rege Luothario. Anno regni ipsius V°. „Godeboldo existente urbano Comite.“ Tenore ergo Ipsius pri-uilegii plenius intellecto dilectus nobis theg. (Thegenhardus) pro-thonotharius noster et prepositus ipsius ecclesie unacum capitulo nobis humiliter subplicauit ut ea que in predicto priuilegio con-tinentur dignaremur. Auctoritate regia confirmare. Nos igitur iustis eorum precibus inclinati respectu quoque seruitiorum, que prestitit nobis idem prepositus ordinationem et statutum jpsius priuilegij auctoritate Regia confirmamus districte inhibentes per gratie nostre penam ne aliqua persona alta uel humilis ecclesia-stica et mundana contra tenorem priuilegii sepedicti et nostram confirmationem eundem prepositum canonicos et emunitatem et ecclesiam suam In aduocatia uel bonis suis uel hominibus aliquo-modo aggrauet aut molestet. Siquis autem hoc attemptare pre-sumpserit indignationem nostram se nouerit grauiter incurisse. Testes autem huius rei sunt hii. Hermannus episcopus herbipo-lensis. Conradus abbas sancti Galli. Octus (Otto) prepositus her-bipolensis. Geuehardus comes de tolensteine. Conradus Burgra-uius de nurenbherc. Heinricus Kamerarjus de Rabensburc. (Ra-

vensburc) Eberhardus de hertingesberc. Ruodolfus de fonenberch et Alii quam plures.

Acta sunt hec anno gratie. M°. cc°. xxx°. IIII°. Indictione VIII. In ciuitate Herbipolensi. Anno regni nostri. XIIII°. None Kalendas decembris.

a) Sigillum, quod appendebat periit cum ipsis filis; nec aliud appensi remansit indicium, nisi duplex foramen, in parte inferiori membranae complicatae conspicuum. Ubi animadvertendum est, parte inferiori membranae complicatae integram lineam ultimam cum notis chronologicis in ea occurrentibus contectam fuisse, quod deperdendi sigilli non minima causa extitisse videtur.

b) Indictio caesarea respondet anno Ch. indicato; annus regni, raro in instrumentis huius regis notatus, diem coronationis eius an. 1222. 8. Maii peractae, quinque mensibus et aliquibus diebus anticipat.

c) Ineditum.

DCCXXVII.

Anno 1234. Mense Novembri. Fogiae.

Fridericus II. imperator, in favorem Henrici episcopi Eystetensis, sententias principum a se adprobatas promulgat, ut nullus episcopus aliquem infeodet praeter assensum imperatoris; ut nullus advocatus in cives cathedralis ecclesiae exactionem faciat; ut nullus comes vel advocatus in emunitatibus ecclesiarum iudicium usurpet, nisi iudex de voluntate episcopi constitutus; ut nulla ecclesia plures advocatos in uno praedio habeat; ut nullus advocatus in officiatos episcopi et familiam ecclesiae aliquam iurisdictionem exerceat; ut quilibet episcopus saecularem officiatum habeat in civitatibus, qui iudicet loco sui.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et Indiuidue Trinitatis. FRIDERICUS. secundus Diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et sicilie Rex. Imperialis excellencie dignitas. tunc precipue Laudum suarum titulos ampliat. cum preces eorum prouida liberalitate prosequitur. quos ad obsequia sua per effectum operis obligatos. et deuotio prouexit ut meritos. et fides extulit ut acceptos. Vniuersis igitur Imperij nostri fidelibus tam presentibus quam futuris uolumus esse notum. quod dictante sententia principum. aliorumque nobilium Imperij fidelium existentium in presentia nostra exstitit approbatum. ut nullus Episcopus Theutonie de hijs que spectant ad regalia. et ab Imperio tenet. aliquem infeodare possit praeter assensum nostrum et quod nulli aduocato liceat in Ciues cathedralis Ciuitatis exactionem aliquam facere. Nec liceat alicui Comiti uel aduocato. sibi iuditium usurpare. de hijs que in

emunitatibus fiunt ecclesiarum. nisi tantum ecclesiastico Judici. ad hoc de uoluntate Episcopi constituto. et quod nulla ecclesia in uno praedio plures aduocatos possit habere. Item quod nulli aduocato liceat in officiatos Episcopi et familiam ecclesie sue. aliquam exactionem facere uel Juditium exercere. Item quod quilibet Episcoporum Theotonie secularem officiatum in suis Ciuitatibus, oppidis et villis habere tenetur. ut Judicet loco sui et duas partes compositionis et satisfactionis spectantes ad Episcopum loco ipsius pro parte sua recipiat et tertiam habeat aduocatus. Constitutus itaque in presentia nostra Henricus venerabilis Episcopus Eystetensis dilectus princeps noster nobis supplicauit attentius ut quia super premissis omnibus grauem huc usque super Juribus ecclesie sue perpessus est lesionem. in fauorem suum et ecclesie sue munimen. predictas sententias ratas habere perpetuo dignaremur. Nos igitur attendentes grata satis et accepta seruitia que dictus Episcopus nobis Karissimo filio nostro Regi Romanorum Illustri et Imperio semper exhibuit. et exhibere poterit in futurum. volentes eciam suis et ecclesie sue indempnitatibus prouidere. de innata celsitudinis nostre munificentia. predictas sententias confirmamus. et siqua contra eas in ecclesia Eystetensi usque ad hec tempora sunt contra Justitiam attemptata. in irritum reuocamus. Statuentes et Imperiali sancientes edicto. ne aliquis aduocatus aut Comes. alta persona uel humilis ecclesiastica uel secularis. contra presentes sententias et per nos approbatas uenire presumat. Quod qui presumpserit. quinquaginta librarum auri pena plectatur. quarum medietas parti ipsius Episcopi et ecclesie sue. reliqua fisco nostro soluatur. Ad huius igitur rei memoriam. et robur perpetuo ualiturum praesens priuilegium fieri. et bulla aurea tijpario nostre Magestatis impressa. iussimus communiri. Huius rei testes sunt. S. Archiepiscopus Maguntinus totius Germanie Archicancellarius E. papembergensis Episcopus. H. Marchio de Baden. Comes Hermannus de Ortemburch. albertus de Ense. Englardus de Nidek et alij quam plures.

Signum Domini Fridericj secundi Dei gratia Inuictissi-

mj Romanorum Imperatoris Semper Augusti Jerusalem et Sicilie Regis. *(Monogramma.)*

Acta sunt hec Anno dominice Incarnationis Millesimo Ducentesimo Tricesimo Quarto. Mense Nouembris, octaue Indictionis Imperante domino nostro Fr(iderico) dei gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto. Jerusalem et Sicilie Rege. Anno Imperij eius Quartodecimo. Regni Jerusalem Nono. Regni uero sicilie Tricesimo sexto. feliciter Amen. Datum Fogie. Anno. Mense et Indictione prescriptis.

a) Bulla aurea illaesa appendet ex filis sericis varii coloris, nimirum purpurei, flavi et violacei vel potius subfusci.

b) Indictio caesarea, annique imperii ac regnorum sive ad finem vergentes, sive paulo ante completi, respondent anno indicato 1234.

c) Ineditum.

d) Confr. desuper constitutio generalis Friderici II. 1220. 26. April. Frankfurti data, quacum hoc privilegium quandam habet affinitatem, nec non privilegium sub bulla aurea eodem mense Novembri anni eiusdem 1234. archiepiscopo Moguntino concessum, quod legitur in Würdtwein subsid. diplom. IV. 400 — 406. nec non in Falkenstein cod. Eichstad. 61. n. 62. ex insertione in confirmat. Rudolphi I. 1275.

DCCXXVIII.

Anno 1234. 21. Decembris. apud Spiram.

Heinricus VII. rex civibus Spirensibus magnum privilegium Friderici I. 1182. 27. Maii renovat et confirmat.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Heinricus septimus diuina fauente clementia Romanorum Rex et semper Augustus. Dignum censemus et consentaneum rationi ut eis qui fide ac deuotione pre aliis se ad nostra beneplacita exhibent promptiores, in renouationibus priuilegiorum suorum, et in aliis iustis precibus et desideriis eorundem, pre ceteris etiam plus impendat nostra serenitas gracie et honoris. Nouerint igitur uniuersi presentes ac posteri quod dilecti fideles nostri ciues Spirenses nobis humiliter supplicarunt ut dignaremur auctoritate Regia renouare priuilegium proaui nostri pie memorie. Friderici quondam Romanorum Imperatoris. cuius tenor talis est. „In nomine Sancte „et indiuidue Trinitatis. Fridericus etc.

„Acta sunt hec Anno dominice Incarnationis M. C. LXXXII. „Indictione XV. etc. (quae dabuntur inter Apographa 1182. 27. Maii).

Nos igitur inclinati precibus ciuium predictorum idem priuilegium de uerbo ad uerbum presenti pagine inscribi fecimus. innouantes et confirmantes Auctoritate Regia libertates. consuetudines pariter et honores. ac omnia prorsus iura que Ciuitati Spirensi in eodem priuilegio sunt indulta. Inhibemus itaque firmiter et distincte (districte) sub obtentu gracie nostre ne ulla persona alta uel humilis ecclesiastica uel secularis predictam Ciuitatem Spirensem. uel ciues ipsius, contra tenorem priuilegiorum presentium aggrauet aliquomodo uel molestet. Siquis igitur hoc attemptare presumserit, preter id quod a nostre maiestatis gracia est exclusus, soluet ducentas marcas auri pro pena. quarum medietas

cedat fisco. reliqua uero medietas passis iniuriam persoluetur. Testes huius rei sunt. Conradus Spirensis Episcopus. Landolfus Wormaciensis Electus. Conradus de Steina prepositus Sifridus Decanus. maioris Ecclesie. Conradus prepositus sancte Gwidonis Spirensis, Conradus Augiensis. Walterus Sunnesheimensis. Theginhardus Otraheimensis. Regimbodo Hirsaugensis. Sifridus Mulimbrunnensis. Ulricus Lintburgensis. Abbates. Otto de Eberstein. Hermannus de Rieperg. Fridericus de Tanne. Heinricus de Scharphemberg. Heinricus filius eius. Conradus de Scharphemberg. et alii quam plures. Acta sunt hec anno Incarnationis domini Millesimo. Ducentesimo. xxxiiij. xıj. Kalendas Januarii. anno uero Regni nostri quarto decimo. Indictione octaua.

Signum domini Heinrici Romanorum Regis Inuictissimi.
(Monogramma.)

Datum apud Spiram. Anno. mense. Indictione prenotatis.

a) Sigillum appendet illaesum.

b) Indictio dicta caesarea, et annus regni, a coronatione 8. Maii 1222. numeratus, sed anticipatus 5. mensibus, respondent anno Chr. expresso.

c) Diploma Heinrici VII. renovatorium ineditum. Insertum autem privilegium extat apud Lehmann, Tolner, Lünig, du Mont et Gerken.

d) Copia nobis communicata est 20. Jan. 1832. descripta ex Authographo in archivo civitatis Spirensis asservato.

DCCXXIX.

Anno 1234. 31. Decembr. Fogiae.

Fridericus II. imperator, post obitum ducis Meraniae ab abbate et a fratribus monasterii Tegernse in advocatum electus, illud monasterium sub speciali sua et imperii recipit protectione.

a) Sigillum periit, remanente sola incisione duplici in infima parte membranae complicatae.

b) Indictio ordinaria conveniens anno Chr. 1235. ex antiquo computu intelligenda est de nostro anno Chr. 1235.

c) Editum in Oefele Scr. r. Boic. II. 85. et in Mon. Boic. VI. 211. n. 41.

DCCXXX.

Anno 1234. 31. Decembris. Fogiae.

Fridericus II. imperator, quem defuncto duce Meraniae Henricus abbas Tegernseensis, fratrum et ministerialium communicato consilio, in advocatum elegerat, sententiam principum, coram filio suo Henrico rege, latam confirmat, qua libertas ecclesiae a servitute advocati declaratur.

a) Sigillum fractum est et ita pessumdatum, ut nonnisi quaedam massa cerae posterioris instrumento appendeat ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Indictio ordinaria anno Chr. 1235. convenit, quae ex nostro computu diei ultimo mensis Decembris anno Chr. 1234. respondet; annum enim antiqui cum ipsa indictione ordinaria a 25. Decemb. inchoabant.

c) Editum in Oefele ser. r. Boic. II. 84. et in Mon. Boic. VI. 210. num. 40.

d) Ad negotium ipsum pergrande advocatiae Tegernseensis, praeter hoc diploma, spectant aliae duo Friderici II. imp. epistolae, quae habentur in eodem Tom. Mon. Boic. 209. num. 39. et 211. num. 41. Notandum praeprimis, vacasse tunc advocatiam monasterii huius ex obitu Ottonis I. ducis Meraniae, eodem anno 1234. 6. Maii defuncti, qui filium unicum Ottonem II., reliquerat sed minorennem et sub tutela constitutum.

DCCXXXI.

Anno 1234. 31. Decembris. Fogiae.

Fridericus II. imperator, Ottoni, filio ducis quondam Meraniae, et Alberto, comiti Tyrolensi, sententiam principum in favorem ecclesiae Tegernseensis latam, nuncians, praecipit, ut a laesione et vexatione impetendo advocationem cessent.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, sola restat incisio duplex in infima parte membranae complicatae, apta segmento membranaceo, quod tamen similiter periit.

b) Indictio ordinaria iuxta antiquum computum cum ipso anno incipiens annum nostrum 1234 indicat, quem antiqui 25. Decemb. inchoabant.

c) Editum in Mon. Boic. VI. 209. num. 39.

d) Vocabulum: inponibus, ob incertum abbreviandi modum, difficile lectu et explicatu est; legi enim potest: inposonibus vel inputonibus, neutiquam autem: proprium, quod voluerunt editores l. cit.

DCCXXXII.

Anno 1235. 30. Januar. apud Nuoerinberc.

Heinricus VII. rex, officiatis de Dinkelspuhel, Rotenburc, Nordelingen et Werde, in favorem monasterii de Ahusen, interdicit, ne personam spiritualem in causa criminali vel civili iudicio saeculari stare cogant, contra ipsarum voluntatem; exceptis tamen testibus idoneis, quos recipiant non obstante civitatum consuetudine.

H.(einricus) dei gratia Romanorum Rex et semper augustus. fidelibus suis. De Dinkelspuhel. de Rotenburc. de Nordelingen et de werde Ministris. necnon vniuersis officiatis suis presentem literam inspecturis. Gratiam suam et omne bonum. Cum in utroque iure prohibitum sit ne quis iudex secularis. spiritualem personam aliquam uel ecclesie pertinentem. coram se cogat stare Judicio seculari. nosque propter fauorem quem gerimus dilecto nobis Abbati et conuentui Monasterii de Ahusen. iura ipsius ecclesie uelimus conseruare specialius illibata. Mandamus uobis sub obtentu gratie nostre firmiter precipientes. quatenus nullus uestrum sit qui dictum Abbatem uel aliquem suorum subditorum ecclesiasticarum personarum in causa criminali uel civili contra ipsorum uoluntatem presumat uocare uel trahere ad iudicium seculare. Si vero coram uobis iuri stare uoluerint. uolumus et mandamus. ut testes dicti abbatis et suorum subditorum qui censeantur idonei non obstante Ciuitatum uestrarum consuetudine recipiatis. Quod

siquis predictam gratiam prelibate ecclesie de Ahusen infringere presumpserit uel turbare. offensam et indignationem nostram se nouerit incursurum.

Datum apud Nuoerinberc anno dominice Incarnationis M°CC°XXX°V°. Tercio Kal. Febr. Indictione VIII[a].

a) Sigillum, in ora sinistra laesum, appendet ex filis sericis purpurei et rubri coloris.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Schütz corp. histor. Brandenburg. sylloge 72. num. 35.

DCCXXXIII.

Anno 1235. 3. Februar. apud Nuoerinberc.

Heinricus VII. rex, Walthero abbati et conventui de Halsprunnen villam Kelminze, quam Rudolfus de Lewenrode a rege in feudo possederat et monasterio vendiderat, sibi resignatam, pro remedio suo et progenitorum suorum confirmat.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Heinricus septimus diuina fauente clementia. Romanorum Rex et semper augustus. vniuersis presentem literam uisuris Imperpetuum. Cum diuine pietatis incrementa in nobis continua sentiamus. dignum censemus. quia credimus nos ad hoc ad regni apicem sublimatos, ut ecclesias dei et loca sancta vbi idem laudatur et colitur, ac personas in eisdem, quorum uoces et mentes in celestibus habitant. nostris temporalibus subsidiis augeamus. Hac siquidem ratione notum esse cupimus. tam presentibus quam futuris, quod consti-

tus in nostra presentia fidelis noster Rudolfus miles de Lewenrode villam que dicitur Kelminze quam idem a nobis in feudo possidebat, in manus nostras cum omni iure et suis pertinentiis resignauit. supplicans maiestati nostre, ut quia dictus miles eadem bona uendiderat dilectis nobis walthero honorabili abbati et conuentui de halsprunnen pro septuaginta libris legalium Nuerenbergensium. eidem uenditioni assensum beniuolum porrigere dignaremur. Nos itaque considerantes hospitalitatem dicti Monasterii qua pollet continue. attendentes etiam deuota eorum obsequia, que nobis et nostris exhibent incessanter, villam eandem in Kelminze cum omni iure et pertinentiis suis, quibus ipsam villam prenotatus Rudolfus de Lewenrode antea possidebat. prenominato Honorabili walthero abbati et conuentui de Halsprunnen. pro remedio diuorum progenitorum nostrorum regum et imperatorum. et nostra salute. damus et concedimus imperpetuum possidendam. Statuentes ut nulla umquam persona humilis uel alta, ecclesiastica uel mundana. dictum abbatem aut conuentum de halsprunnen in eisdem bonis suis presumat ledere uel alicuius ingenii scruppulo impedire. Quod qui fecerit offensam et indignationem nostram se sentiat incurrisse. vt autem presens donatio robur optineat perpetuo ualiturum. presentem literam sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari. Testes sunt hii. venerabilis Hermannus herbipolensis episcopus. Landolfus wormatiensis electus. Thegenhardus Imperialis aule prothonotarius, Heinricus Marchio de burgowe. Heinricus de Niffen. Cvonradus de Durnan. Swicgerus de Gundeluingen. Heinricus de Beigerbach. qui est salmannus eiusdem predii. Ludewicus de virnsperc. Eberhardus de Hertingesperge. Erchenbertus iunior de buoetendorph. Conradus butegelarius de Nuoerinberc et alii quam plures. Datum apud Nuoerinberc anno dominice Incarnationis M°CC°XXX°V°. Tercio Non. Februarii Indictione Octaua.

a) Sigilli appensi, ast fracti, duo restant fragmenta minuta, quorum unum vix levissime adhaeret filis sericis purpurei, rubri, viridis et albi coloris; alterum separatim adiacet, simul sibi iuncta

laevam manum regis tenentis pomum cum vicina parte sedilis et interioris inscriptionis: Suevie (Sueviae) exprimunt.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Wölkern histor. Norimb. dipl. II. 96. num. 10. et in Schütz histor. Brandenburg. sylloge 74. num. 37.

DCCXXXIV.

Anno 1235. Mense Junio. apud Ratisponam.

Fridericus II. imperator monasterium in veteri Honowe (Hohenowe); Salceburgensis dioecesis cum omnibus bonis et personis in specialem protectionem recipit.

a) Sigillum, in ora praesertim sinistra nonnihil laesum, appendet ex filis sericis rubri coloris, quae tamen fila partim disrupta noviori aevo ope aliorum filorum eiusdem coloris in modum funiculi sunt colligata, tam in parte eorum superiori, quam inferiori, ut hoc modo ipsum sigillum muniatur.

b) Indictio respondet anno indicato.

c) Editum in Hund. metr. II. Edit. Monac. 80. edit. Rat. 54. et in Mon. Boic. XVII. 2. num. 2.

d) Monasterium ipsum hoc instrumento confirmatum, paulo ante fundatum à Chunrado comite de Wasserburg, in litteris fundationis rectius dicitur: vetus Hohenawe; cnfr. Mon. Boic. I. c. num. 1.

DCCXXXV.

Anno 1235. Inter 14 — 21. Septemb. apud Hagenowe.

Fridericus II. imperator. Conrado Burgravio de Nurenberg et heredibus suis, emtionem castri Virnesperc, quod Gotfridus de Hohenloch a Ludewico de Virnesperc pro recompensatione damni, per eundem sibi illati, receperat, confirmat.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex per presens scriptum notum facimus uniuersis quod Conradus burgrauius de Nurenberc dilectus fidelis noster in nostra presentia constitutus nostre celsitudini supplicauit quod cum ipse emisset a Gotfrido de Hohenloch fideli nostro castrum virnesperc quod idem Gotfridus pro recompensatione dampni a Ludewico de virnesperc sibi illati eodem Ludewico consentiente de nostra licentia fuerat assecutus nos uendicionem ipsam ratam habere, et dictum castrum cum omnibus iusticiis et pertinentiis suis Sibi et Heredibus suis confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur suis supplicationibus fauorabiliter inclinati attendentes etiam grata satis et accepta seruicia que idem burgrauius nobis et Imperio deuote exhibuit hactenus, et que de bono in melius poterit exhibere, de nostre liberalitatis gratia quo benemeritos et fideles nostros semper consueuimus preuenire predictam uendicionem ratam habemus, dictum castrum cum omnibus iusticiis et pertinentiis suis Sibi et Heredibus suis perpetuo confirmantes. Ad huius itaque nostre confirmationis memoriam, presens scriptum fieri, et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Huius rei testes sunt. S. venerabilis Ratisponensis Episcopus. Imperialis aule cancellarius. frater. H. venerabilis magister domus teuthonice. Hermannus Marchio de Baden Comes. Fridericus de Zolre. Wolfradus de Crutheim.

frater. Bertholdus de Tanrode. Cunradus de Smideluelt Hermannus de Stolzenberc. Henricus de Steine. Fridericus de Kezelberc. Hermannus de Seheijm et alii quam plures. Data apud Hagenowe Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto mense Septembris nonae Indictionis.

a) Sigillum, in omni ora laesum, qua laesione pleraeque litterae inscriptionis primariae, scilicet in circuitu imaginis scriptae, evanuerunt, appendet ex filis sericis flavi coloris.

b) Indictio, caesarea dicta, à 24. Septemb. incepta, respondet anno Ch. indicato, quem confirmant alia diplomata huius imperatoris eodem tempore et loco data. Cnfr. Raumer Hohenstaufen II. 576. et auctores laudati.

c) Editum in Sinold von Schütz Historia Brandenburg. IV. Abhandl. sive cod. dipl. 72. num. 36.

d) Desumtum ex archivo ordinis Teutonicorum commendae Virnsberg. cnfr. Deduction Brand. Usurpationsgesch. 75. §. 65. et Anhang 235. num. 117.

DCCXXXVI.

Anno 1235. circa medium mensem Octobr. usque 29. eiusdem. apud Augustam.

Fridericus II. imperator Ruodolpho, abbati Faucensi, privilegium anni 1219 verius 1218 super restitutione provinciae Aschowe indultum, innovando confirmat.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Fridericus diuina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Imperialis eminentia tunc precipue nominis sui titulos ampliat. cum diuine pietatis intuitu, per

quam preest principibus orbis terre loca venerabilia pia mentis affectione tuetur, et iustas pro eis porrectas fauorabiliter peticiones admittit. Ea propter vniuersis Imperii fidelibus presentibus et futuris, uolumus esse notum quod. Rvodolfus. venerabilis abbas faucensis dilectus fidelis noster priuilegium quoddam monasterio suo indultum a nobis tempore Regni nostri. nostre celsitudini presentauit, supplicans. ut illud innouare, et que continebantur in ipso confirmare de nostra dignaremur gratia. cuius tenor est per omnia talis.

„Fridericus II. etc. etc. datum apud Ulmam ao. Chr. 1219. IV. Id (10.) Septbr. Ind. VI." (quod habetur ex originali 1218. potius quam 1219. 10. Septemb.)

Nos igitur attendentes fidem et deuotionem ipsius abbatis quam ad Celsitudinem nostram habet, suis supplicationibus inclinati. predictum priuilegium ei a nobis indultum, presenti priuilegio de uerbo ad uerbum iussimus inseri, omnia que continentur in eo nostre auctoritatis munimine confirmantes. Statuimus igitur et Imperiali sancimus edicto. quatinus nulla persona, alta uel humilis, ecclesiastica uel secularis, predictum Monasterium. abbatem et successores eius super predictis bonis contra presentis priuilegii nostri tenorem ausu temerario molestare presumat. Quod qui presumpserit preter indignationem nostri Culminis quam incurret Centum libras auri puri componat. medietate fisco nostro, reliqua dicto monasterio persoluenda. Ut autem hec nostra confirmatio robur perpetue firmitatis obtineat. presens priuilegium fieri mandauimus. et Sigillo maiestatis nostre jussimus communiri. Huius rei testes sunt. dilecti principes venerabilis Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus. S. Ratisponensis Episcopus Imperialis aule Cancellarius. Sibotto Augustensis Episcopus. Frater Hermannus Magister domus sancte Marie thevtonicorum. Abbas sancti Emmeranni. O. dux Bawarie. H. Langrauius Turingie. Comes palatinus saxonie. H. Marchio de Baden. C. Burcrauius de Nvorembere, et alii quam plures.

Signum Domni Friderici secundi Dei semper Augusti Gratia

Gratia Invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti Jerusalem et sicilie Regis. *(Monogramma.)*

Acta sunt hec anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo Tricesimo Quinto. Mense Octobris. Indictione Nona. Imperante domino nostro Friderico dei gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto. Jerusalem et Sicilie Rege. Anno Imperii eius Quinto decimo. Regni Jerusal. decimo. Regni uero Sicilie Tricesimo Septimo. feliciter amen.

Datum aput (apud) Augustam. Mense. Anno et Indictione prescriptis.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere tantum fila serica, rubri coloris, membranae inferius complicatae innexa. Ipsa autem membrana panno albo recens adglutinata est.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt, ex quibus tamen indictio est, quae dicitur caesarea, et annus regni Siciliae ante quinque fere menses completus. Dies mensis non indicatus ad finem mensis Octobris, id est ad initium solemnis curiae, circa festum omnium sanctorum sive circ. 1. Novemb. Augustae indictae ac celebratae, pertinet, adhuc tamen ante 30. Octobr., quo die Sifridum Ratisb. episcopum, in hoc diplomate inter testes nominatum, iterum Ratisbonae fuisse constat ex Ried. cod. dipl. Ratisb. I. 377. num. 392.; nisi fors hoc ultimum eiusdem episcopi instrumentum Ratisbonae datum potius ad annum sequentem 1236 debeat referri.

c) Ineditum, memoratum autem in Braun Gesch. der Bisch. von Augsb. II. 245.

d) Desumtum ex archivo cathedr. Augustano.

DCCXXXVII.

Anno 1235. 25. Octobr. Augustae.

Fridericus II. imperator, Buticlario de Nuorenberch, ad querelam praepositi et conventus de Speinshart mandat: ut causa inquisita super advocatia villarum Wolawe etc. arrogata, Lantcravios de Waltekke, de Luikenberch et Henricum de Turndorf, ab omni molestatione dicti praepositi compescat.

Fr(idericus) dej gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Buticlario de Nuorenberch fideli suo gratiam suam et omne bonum. Querelam prepositi et conuentus de speinsbart fidelium nostrorum recepimus continentem. quod Lantcrauij de Waltekke. de luikenberch. et henricus de Turndorf. occasione aduocatie quam habere se asserunt in quibusdam villis ipsius ecclesie uidelicet Wolawe. Curbansdorf. prissen. Curbenseze. Mukenrott. aldinriut. et tunpach. cum nullam ibi aduocatiam habeant. ipsos prepositum et conuentum in eisdem uillis aggrauant et dampnificare non cessant, omnem eis Molestiam et Jacturam assidue inferendo. Cum igitur ecclesiarum Jura uelimus illesa seruari. fidelitatj tue firmiter precipiendo Mandamus, quatinus inquisita de hijs diligentius ueritate. si tibi constiterit ita esse. predictos Lancrauios et henricum taliter ab eorundem prepositi et conuentus indebita Molestatione compescas, et cogas prout Justum fuerit ut ablata restituant. ut super hijs Iterum nullam querimoniam audiamus. et tua proinde deuotio commendetur. Datum Auguste. xxv. octobris. Indictionis vııj^{e}.

a) Nullum quidem appendet sigillum, nullumque appensi aut impressi modo restat vestigium. Verumtamen, cum character scripturae ac forma membranae cum inscriptione externa: Buticlario

de Nuorenberch fideli suo pro praeposito de Speinshart, ipsum autographum repraesentent, vel locus sigilli cum parte membranae infima succisus est, vel potius mandatum, quod ab exordio sigillo iam caruit, alteri iusto instrumento atque sigillo munito inclusum est.

b) Annus, non expressus, per indictionem caesaream, tunc usitatam et per locum, civitatem nimirum Augustam, ubi solemnis curia fine Octobris 1235 habita est, satis indicatur.

c) Ineditum.

DCCXXXVIII.

Anno 1235. Mense Octobr. Augustae.

Fridericus II. imperator, ecclesiam in Kizingen, cum personis et possessionibus omnibus, in specialem protectionem recipit.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Religiosam uitam habentibus Imperiale debet adesse presidium ne cuiusuis temeritatis incursus aut eos a bono proposito reuocet aut in eis quod absit, robur sancte conuersacionis infringat. Cum igitur ecclesia in Kizingen sicut intelleximus agitetur pressuris multiplicibus et diuersis grauaminibus indebite opprimatur. uolentes ei ex consueta nostre celsitudinis clemencia prouidere. ecclesiam ipsam ac dilectam nobis in christo abbatissam. ac ceteras eiusdem ecclesie personas. cum omnibus possessionibus ac bonis. que in presentiarum iuste tenent et possident aut in futurum iusto acquisitionis titulo poterunt adipisci. sub nostra et Imperii speciali recepimus protectione. Mandantes et firmiter precipientes. quatenus nullus sit. qui dictam ecclesiam aut personas ibidem domino famulantes in possessionibus

et bonis suis presumat temere molestare. Quod qui presumpserit indignacionem nostri culminis se nouerit incursurum. Ad huius itaque nostre protectionis memoriam presens scriptum fieri. et Sigillo nostro iussimus communiri. Data Auguste. anno dominice Incarnationis M°.CC°.XXXV°. Mense Octobris. None Indictionis.

a) Sigillum, nonnihil laesum in ora ac in inscriptione circa imagiginem, appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.

b) Indictio, quae vocatur caesarea, respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Jäger's Gesch. Frankenlands III. 380. num. 35.

DCCXXXIX.

Anno 1236. Mense Aprili. Apud Spiram.

Fridericus II. imperator, cum Alrammus de Halse pro damnis multiplicibus, ecclesiae S. Mariae superioris monasterii in Ratispona illatis, satisfecisset, et per nuntium abbatissae curiae imperiali rationem satisfactionis praesentasset, ipsum instrumentum Alrammi, 12. Mart. datum, de verbo ad verbum inserit et confirmat.

Fridericus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens scriptum notum facimus vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. quod cum alrammus de Halsen satisfecisset Ecclesie sancte Marie superioris Monasterii in Ratispona, pro dampnis eidem Monasterio illatis, nostre Celsitudini humiliter supplicauit. quatinus scriptum quod super eadem satisfactione, sicut per Nuntium venerabilis abbatisse Monasterii memorati Curie nostre fuerat presentatum, dicto Monasterio fecerat, et ea que continentur in eo rata ha-

bere, et confirmare de nostra gratia dignaremur. Cuius scripti tenor est per omnia talis. „In nomine domini amen. Ad cautelam scribenda sunt negotia etc." (Quod habetur ex originali anno eodem 1236. IV. Idus Martii (12. Martii).)

Nos igitur suis supplicationibus annuentes. in fauorem monasterii memorati. quod multa dampna passum fuerat per eundem. scriptum infra contentum. et omnia que continentur in eo. rata habemus et de innata nobis gratia confirmamus. Ad cuius rei memoriam et stabilem firmitatem. presens scriptum fieri et sigillo nostro iussimus communiri. Dat. aput Spiream (apud Spiram). Anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo Tricesimo sexto. Mense Aprili. none Indictionis.

a) Sigillum, in omni ora et ipsa etiam imagine imperatoris laesum, appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris. Dicta laesione omnis fere per circuitum imaginis inscriptio evanuit, remansit autem altera inscriptio, quae in area distincte legitur: Rex Jerusalem.

b) Indictio respondet anno indicato.

c) Ineditum.

DCCXL.

1236. 27. Junii. apud Augustam.

Fridericus II. foedus armorum init cum quinque nominatis imperii principibus adversus Fridericum ducem Austriae et Styriae, gravia nimis et illicita contra se, honorem et dignitatem suam et imperii molientem.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem et sicilie Rex. Per presens scriptum notum facimus

vniuersis quod nos dilectis principibus nostris subscriptis videlicet W. Illustri Regi Boemie dilecto affini nostro E. Babinbergensi. R. Patauiensi Episcopis. O. Duci Bawarie. Comiti palatino Reni. et O. Marhioni (Marchioni) Brandenburgensi. firmiter promisimus, quod cum friderico Duce Austrie et Styrie. contra nos. honorem. et dignitatem nostram, et Imperii. grauia nimis et illicita, moliente, nullas trevgas. pacem. uel concordiam faciemus, cotra (contra) ipsorum uoluntatem et consensum. et quod eis contra ipsum, et omnes suos fautores, efficaciter assistemus. et siquid grauaminis dictis nostris principibus. a quacumque persona. uel quocumque casu acciderit pro hoc facto. nos eos iuuabimus, sicut nostram condecet Maiestatem. Ad cuius rei memoriam presens scriptum fieri, et sigillo Maiestatis nostre iussimus communiri. Datum apud Augustam XXVII. Junij VIIII°. Indictionis.

a) Sigillum, in parte superiori laesum, appendet segmento membranaceo.

b) Indictio expresso denotat annum Chr. omissum, 1236.

c) Desumtum ex archivo episcopali Pataviensi. Editum a L. B. de Hormayr in: Jahrbücher der Literatur 1827. XL. Band. S. 137.

DCCXLI.

Anno 1236. Mense Junio. Apud Augustam.

Fridericus II. imperator, privilegium, monasterio Berhtersgadensi tempore regni sui 1213. 13. Febr. indultum, inserit et confirmat.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et individve Trinitatis Fridericus secvndvs divina favente clementia Romanorum Imperator semper Avgvstvs Jerusalem et sicilie Rex. Imperialis Excellentia tunc precipue

sui nominis titulos ampliat. cum diuine pietatis intuitu per quam preest principibus orbis terre, loca venerabilia pia mentis affectione tuetur, et iustas eorum fauorabiliter petitiones admittit. Eapropter vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. uolumus esse notum. quod .... Prepositus et Conuentus Monasterii Berhtersgademensis fideles nostri. priuilegium quoddam eidem monasterio a nobis indultum olim tempore Regni nostri. nostre Celsitudini presentarunt. humiliter supplicantes. ut illud cum omnibus que continentur in ipso, confirmare de nostra gratia dignaremur. Cuius tenor est per omnia talis.

„C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis etc. etc.“ (Acta anno dom. incarn. 1212. datum apud Ratisponam. XV. Kal. Martii (ex nostro computu 1213. 15. Febr.))

Nos igitur suis supplicationibus inclinati. priuilegium ipsum presenti priuilegio inseri iussimus, illud cum omnibus que continentur in eo. de nostra gratia confirmantes: Statuimus itaque et Imperiali sanctimus edicto. ut nulla persona, alta uel humilis ecclesiastica uel secularis. predictum monasterium contra presentis priuilegii nostri seriem super hiis temere molestare presumat. Quod qui presumpserit. preter penam priuilegio supradicto appositam. centum libras auri puri componat. medietate fisco nostro, reliqua dicto monasterio persoluenda. Ut autem presens nostra confirmatio robur optineat perpetue firmitatis. presens priuilegium fieri iussimus, et Sigillo Maiestatis nostre muniri. Huius rei testes sunt. W. Rex Boemie. E. papinbergensis Episcopus. C. Constantiensis. S. Ratisponensis Episcopus. Imperialis avle Cancellarius. O. dux Bawarie Comes palatinus Reni. O. marchio Bragdeburgensis (Brandeburgensis). H. marchio de Baden. Comes. H. de dilingen. Fr. de truendingen. C. pincerna de Winterstet. et alij quam plures.

Signum domini Fridericj secundi dei gratia Romanorum Imperatoris *(Monogramma)* Inuictissimj semper Avgvstj Jerusalem et sicilie Regis.

Ego Siffridus Ratisponensis Episcopus Imperialis aule Cancellarius. uice domini Maguntini Archiepiscopi in Germanja Archicancellarii recognouj. Acta sunt hec anno dominice Incarnationis Millesimo. Ducentesimo Tricesimo sexto. Mense Junij. none Indictionis. Imperante domino nostro Friderico secundo dej gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto. Jerusalem et sicilie Rege. Anno Imperii eius sexto decimo. Regni uero sicilie. tricesimo octauo feliciter Amen.

Datum aput (apud) Augustam. Anno. Mense. et Indictione prescriptis.

a) Sigillum, valde laesum, praecipue in parte superiori, ita, ut, praeter caput imperatoris, tam initium, quam finis inscriptionis in circuitu imaginis evanuerit, appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Notae chronologicae omnes inter se conveniunt.

c) Editum, inserto ipso diplomate priori, in Hundii metrop. II. Ed. Mon. 182. Edit. Ratisb. 124.

d) Ope inserti diplomatis anni 1212, nobis 1213 15. Februar. lacunae plurimae, in originali eiusdem deprehensae, restitutae sunt, quod etiam in recensione illius est observatum.

e) Inter testes initiali littera C. indicatus episcopus Constantiensis haud esse potest Conradus, qui iuxta catalogum episcoporum Constantiensium iam obiit anno 1234, sed potius successor eius Heinricus, quem iam 1235. 16. Januarii huic episcopatui praefuisse docemur ex quodam instrumento apud Neugart cod. dipl. Alemanniae II. 168. num. 925.

DCCXLII.

DCCXLII.

Anno 1236. mense Julio. apud Gunzenle.

Fridericus II. imperator oblatam sibi ab abbate Vtenbuoerensi Bertholdo advocatiam praedii Helchenriet acceptat, et post tempus accurate designatum una cum advocatia monasterii usibus suis subiectam esse declarat.

Fr(idericus) Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Jerusalem et Sicylie Rex. Tenore presentium notum esse volumus vniuersis Imperii Fidelibus tam presentibus quam futuris. quod constitutus in presentia nostra. Bertholdus venerabilis Abbas de vtenbuoeren Fidelis noster. Future indempnitatj sui Monasterii consulens super predio Helchenriet quod Comes Gotfridus de Marstet et uxor eius Berchta pro remedio anime sue dicto monasterio contulerunt Imperatoriam maiestatem nostram ad hoc eligens concessit nobis aduocatiam de predio memorato. eo uidelicet pacto ut quamdiu predictus Comes et uxor eius Bertha superuixerint. quibus ratione eiusdem aduocatie de predicto monasterio certa pensio est designata uel quamdiu a receptione dicte pensionis uoluntarie non duxerint recedendum. nomine predicte Aduocatie nichil penitus percipere debeamus. Ambobus vero et Comite et Comitissa decedentibus uel pensioni sue totaliter renuntiantibus ius aduocaticium de totali predio transiet in usus nostros, eo iure et conditione quibus Aduocatia prelibatj Monasterii nostris usibus est subiecta. Ad huius itaque rei memoriam et robur in posterum ualiturum. presens scriptum sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari. Datum apud Gunzenle in Castris. Anno dominice incarnationis. Millesimo ducentesimo tricesimo sexto. Mense Julii None Indictionis.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, remanente maxima parte filo-

rum sericorum rubri coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio respondet anno expresso, similiter locus Gunzenle (Gunzlech) prope Augustam; nam fine Junii et adhuc 25. Julii h. a. Augustae imperator versabatur. cnfr. Raumer Hohenstaufen II. 576.

c) Editum in Feyerabend Ottenbeurens Jahrbücher II. 373 — 375. in *.

DCCXLIII.

Anno 1236. Mense Julio. apud Werdam.

Fridericus II. imperator Ekkeberto episcopo Babenbergensi in villa Frankenmarket forum hebdomadale, sine praeiudicio iuris alieni, in qualibet feria tertia celebrandum, concedit.

Fri(dericus) dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex, Per presens scriptum notum esse volumus vniuersis Imperii fidelibus. tam presentibus quam futuris. quod Nos. attendentes grata seruicia. que dilectus princeps noster. venerabilis Babenbergensis Episcopus nobis sepius deuote exhibuit et in antea exhibere poterit graciora. Concedimus et indulgemus eidem. in uilla sua apud Frankenmarket forum ebdomedale. in qualibet tercia feria celebrandum. sine preiudicio iuris alieni. recipientes omnes ad idem forum uenientes. et ad propria reuertentes sub specialem nostram et Imperii protectionem. Ad cuius Rei memoriam et robur sibi in posterum ualiturum presens scriptum fieri et sigillo nostre Celsitudinis iussimus communiri.

Datum apud Werdam. Anno dominice Incarnationis Millesimo. Ducentessimo. Trecessimo. Sexto. Mense Julii none Indictionis.

a) Sigillum, in ora superiori et inferiori laesum, appendet ex segmento membranaceo. Praedicta laesione multae inscriptionis in circuitu imaginis litterae perierunt; imago tamen potissima saltem ex parte integra restat.

b) Indictio convenit cum anno Chr. indicato 1236.

c) Editum a Bar. de Hormayr, ad Raumer Gesch. der Hohenst., in den Jahrbüchern der Lit. XL. Band. S. 115. 116. in

DCCXLIV.

Anno 1236. mense Decembri. apud Nuoerinberc.

Conradus IV. in regem electus, donationem, quam Hermannus dictus Anguilla et uxor eius Bertha, per manus Salmanni, fratribus hospitalis S. Mariae domus Theutonicorum in Nuoerinberc, de possessionibus suis, situ suo descriptis, sub quibusdam conditionibus fecerant, confirmat.

Conr(adus). dei gratia Rex Jerosolimitanus, Gloriosi Romanorum Imperatoris natus. Per presens scriptum notum esse uolumus tam presentibus quam futuris. quod Hermannus dictus Anguilla et uxor eius Bertha pari et gratuita uoluntate in remedium animarum suarum de consensu legitimorum Heredum suorum contulerunt per manus Salmanni fratribus hospitalis sancte Marie domus Theutonicorum in Nuoerinberc, bona sua videlicet Macellos, Curtes, et alia que possidebant, sita infra stratam publicam et ecclesiam sancti Mauricij pleno iure perpetuo possidenda. Tali addita conditione ut iidem hermannus et uxor eius ambo pariter uel alter ipsorum, post obitum alterius, in vigilia natiuitatis Christi singulis annis quoad uixerint libram unam Nuoerinbergensis monete. nomine census de ipsis bonis soluere debeant fratribus

memoratis. nullis eorum heredibus, quos nunc habent, uel imposterum habuerint, ad dicta bona. ullo tempore successuris. Quod si alter eorum post decessum alterius ad secundas nuptias conuolaret. extunc prescripta bona. nullo medio mediante transire debent, ad fratres, et idem Hospitale, libera et soluta. Hec itaque prout coram nobis acta. conscribi fecimus. et sigillo nostre celsitudinis roborari. Huius igitur rei testes sunt. Conradus quondam scultetus dictus Bigenot. . . . . . . Minister de Kuoedorpf Eberhardus Scultetus. vlricus dictus Turbreche. Bertholdus et Cunradus Sculeloci. volkoldus filius volkoldi. et alii quam plures. Actum apud Nuoerinberc anno dominice incarnationis Mccxxxvi. Mense Decembris. x°. Indictionis. feliciter Amen.

a) Sigillum, in ora inferiori nonnihil laesum, appendet ex filis sericis viridis et caerulei coloris. Dicta laesione aliquae mediae inscriptionis litterae evanuerunt, imago tamen regis ac potissima inscriptionis pars remanserunt bene expressae.

b) Indictio, dicta caesarea, convenit cum anno indicato.

c) Ineditum.

DCCXLV.

Anno 1236. Mense Decembri. Apud Nuoerinberc.

Conradus IV. in regem electus, testatur: Conradum Butegelarium de Nuoerinberc, auctoritate patris sui Friderici et sua, causam, quam Ulricus de Lintha et Reinmarus de Crumbach, nomine Kunegundis et Mahthildis, uxorum suarum, super quibusdam areis, olim per manus Salmanni libere donatis, agebant, fratribus hospitalis S. Mariae domus Theutonicorum in Nuoerinberc sententialiter adiudicasse.

Conr(adus) dei gratia Rex Jerosolymitanus Gloriosi Romanorum Imperatoris natus. Tenore presentium notum fieri cupimus tam presentibus quam futuris, quod cum coram Conrado Butegelario de Nuoerinberc Auctoritate domini et patris nostri et nostra. iudicio presidentis. super bonis que Heinricus et Hermannus filii quondam Her. (Hermanni) Ambergarii fratribus hospitalis sancte Marie domus Theutonicorum in Nuoerinberc per manus Salmanni libere contulerunt, inter eosdem fratres ac hospitale ipsorum ex una parte. et vlricum de Lintha et Reinmarum de Crumbach agentium nomine Kunegundis et Mahthildis uxorum suarum ex altera. diu hincinde questio uerteretur. Tandem iidem fratres per uiuum testimonium et uerum Salmannum comprobabant. quod dicte sorores tempore donationis eisdem bonis videlicet duabus areis sitis a latere domus Lapideae Monachorum. uni Curtj apud Monetam. quinque Maccellis (macellis). duobus scamnis panis. uni cubiculo in quo ferrum uenditur. publice cesserint ac eis renunciauerint iuxta morem. vnde eisdem vlrico et Reinmario a causa cadentibus, dicti fratres eiusdem hospitalis optinuerunt sententialiter ipsa bona ad se legitime pertinere. Igitur cum per eundem Butegelarium premissa nobis plenius constitissent. in protestatio-

nem eorundem. presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Testes sunt hii, Conradus quondam scultetus dictus Bigenot. Minister de CKuedorpf. Hermannus quondam scultetus dictus Anguilla. Eberhardus Scultetus, vlricus dictus Tuirbreche Bertholdus Scutelocus, Conradus scutelocus. volkoldus filius volkoldi. et alii quam plures Actum apud Nuoerinberc anno dominice Incarnationis Millesimo cc. xxxvi. Mense Decembris. decime Indictionis feliciter Amen.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansit sola pars superior filorum sericorum viridis ac caerulei coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio, dicta caesarea, convenit cum anno indicato.

c) Ineditum.

DCCXLVI.

Anno 1237. Mense Februario. Apud Wiennam.

Fridericus II. imperator, ad quem ducatus Austriae et Styriae devenerant, Wiennae in curia cum principibus residens, monasterio de Alta privilegium Liupoldi, ducis quondam Austriae et Styriae, eidem anno 1210 (potius 1215 vel 1216) indultum, renovat.

a) Sigillum fere illaesum, per omnia bene expressum, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Indictio respondet anno indicato.

c) Editum in Mon. Boic. XV. 8. num. 4, ubi etiam habetur privilegium hic insertum pag. 1. num. 1. pag. autem 9. lin. 4. et et 5. leg. Bawaric loco Paivarie.

DCCXLVII.

Anno 1237. mense Martio. apud Wiennam.

Fridericus II. imperator iudicibus et mutariis per ducatum Austriae constitutis mandat: ut canonicis capituli Pataviensis gratiam et libertatem observent, quam habent, ipsis indultam a duce Liuboldo felicis memoriae, super vectigalibus vini et victualium ipsorum per loca mutarum circa Danubium.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator Semper augustus Jerusalem et Sicilie Rex. vniuersis Judicibus et Mutariis per ducatum austrie constitutis fidelibus suis. gratiam suam et omne bonum. Ex parte prepositi. Decani et Capituli Patauiensis ecclesie fidelium nostrorum nostro fuit culmini supplicatum ut gratiam et libertatem ab illustri Duce Liuboldo felicis memorie super vectigalibus uini et uictualium suorum per loca Mutarum circa danubium ipsis et ecclesie sue indultam, conseruare eis de nostra gratia faceremus. Nos itaque iustis ac deuotis eorum precibus annuentes, ac uolentes dictis Canonicis et ecclesie Patauiensi propter deuota sua merita eandem libertatis gratiam conseruare. vniuersitati uestre mandamus firmiter precipientes, quatenus eandem gratiam et libertatem quam indultam sibi ex priuilegio eiusdem Ducis allegant, per loca mutarum iuxta tenorem ipsius priuilegii eisdem preposito Decano et capitulo super uectigalibus uini et uictualium suorum felici nostro tempore obseruetis. ut uestra super hoc possit deuotio commendari. Datum apud Wiennam anno dominice incarnationis Millesimo Ducentesimo tricesimo Septimo Mense Marcii Xme. Indictionis.

a) Sigillum, nonnisi in ora hinc inde laesum, appendet ex segmento membranaceo.

b) Indictio notata convenit cum anno Chr. expresso.

c) Editum a I. B. de Hormayr in den Jahrbüchern XL. Band 137.

DCCXLVIII.

Anno 1237. Mense Martio. Apud Wienam.

Fridericus II. imperator, ad quem ducatus Austriae et Styriae iam pervenerant, monasterio de Reitenhasela Cisterciensis ordinis, privilegium a Luipoldo, quondam duce Austriae et Styriae, anno 1207 indultum, ad amovendam suspicionem, quae ex confractione sigilli poterat suboriri, renovat.

a) Sigillum, in ora dextra ac sinistra nonnihil laesum, qua laesione aliquae inscriptionis in circuitu imaginis litterae evanuerunt, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Indictio respondet anno indicato 1237.

c) Editum in Mon. Boic. III. 134. num. 27, ubi etiam habetur privilegium ducis Austriae hic insertum pag. 121. num. 19.

DCCXLIX.

Anno 1237. mense Aprili. Wiene (Wiennae).

Fridericus II. imperator monasterio Metmensi (Metten) privilegium a Luipoldo quondam duce Austriae anno 1198. 18. August. concessum, inserendo renovat et confirmat.

a) Sigillum, in parte superiori et in omni ora laesum, appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.

b) Indictio et annus regni Jerusalem respondent anno Chr. notato 1237.; non autem uterque annus, imperii ac regni Siciliae; prior enim 5. mensibus anticipatus, alter autem duobus annis ac 5. mensibus decurtatus invenitur.

c) Editum in Mon. Boic. XI. 443. n. 16., ubi lin. 7. leg.: Luipoldo; lin. 14. leg.: innovari.

DCCL.

Anno 1237. Mense Aprili. ap. Wienam.

Fridericus II. imperator fratres Scti Nicolai in Patavia sub specialem recipit protectionem.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie Rex. vniuersis presentes litteras inspecturis fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Supplicarunt Celsitudini nostre fratres Sancti Nicolai in Patauia fideles nostri. ut ipsos et Ecclesiam eorum cum omnibus bonis suis sub specialem protectionem nostram et Imperii recipere dignaremur. Nos uero

cum personas et Ecclesias deo dicatas, ab illicitis molestatoribus et malignorum insultibus non immerito defendere teneamur, ipsorum supplicationibus fauorabiliter inclinati. predictos fratres. Ecclesiam et omnia bona eorum, que inpresentiarum iuste tenent et possident. uel in futurum iusto acquisitionis titulo poterunt adipisci, sub protectionem nostram et Imperii recepimus specialem. Inhibentes firmiter vniuersis, quatinus nullus sit, qui predictos fratres, aut Ecclesiam in bonis suis, contra hujus protectionis nostre paginam presumat temere molestare. Quod qui presumpserit, nostre maiestatis offensam se nouerit incursurum. Datum aput wienam anno dominice Incarnationis M. ducentesimo. Tricesimo septimo. Mense Aprilis. Decime Indictionis.

a) Sigillum, in tota ora sinistra laesum, appendet ex filis sericis purpurei ac flavi coloris.

b) Indictio notata respondet anno memorato 1237.

c) Ineditum.

DCCLI.

Anno 1237. Mense Aprili. ap. Wienam.

Fridericus II. imperator fratribus Scti Nicolai in Patavia inserendo renovat atque confirmat libertatem a vectigalibus, a duce quondam Austriae Liupoldo anno 1203. 7. Aprili illis concessam.

a) Sigillum, in ora superiori ac inferiori nonnihil laesum, appendet ex filis sericis purpurei ac flavi coloris.

b) Indictio respondet anno notato 1237.

c) Editum in Hund metr. II. ed. Mon. 550. edit. Ratisb. 379. et

in Mon. Boic. IV. 343. num. 30. erronee ad an. 1247., ubi sequentia emendentur: pag. 344. lin. 4. leg. Liupoldo; lin. 19. Babenbergensis. lin. 23. leg. millesimo. ducentesimo. tricesimo septimo.

d) Insertum privilegium ducis Austriae cum hoc diplomate impressum ap. Hund. l. c. et in Mon. Boic. IV. 313. n. 9., erronee 1202.

DCCLII.

Anno 1237. Inter 19 — 28. April. apud Ratisponam.

Fridericus II. imperator, archiepiscopo Moguntino propter servitia, sibi exhibita, advocatiam in Bischovesheim et bona adiacentia, quae ab ecclesia Moguntina ipse imperator in iure feudali tenuit, resignat.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus. Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens scriptum notum fieri uolumus vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris. Quod nos attendentes. grata et accepta seruicia. que Dilectus Princeps noster venerabilis Moguntinus archiepiscopus nobis et Imperio exhibuit laudabiliter et deuote. et incessanter exhibet. ac inantea exhibere poterit graciora. aduocaciam in Bischouesheim et bona circum adcencia, (adiacentia) uillam ipsam. que ab ecclesia Moguntina in iure feudali tenuimus. eidem archiepiscopo et ecclesie sue duximus resignanda. Ad cuius rei memoriam, presens scriptum sibi fieri, et Sigillo nostre Maiestatis iussimus communiri.

Data aput Ratisponam anno dominice Incarnationis. Millesimo ducentesimo Tricesimo septimo. Mense Aprilis Xme. Indictionis.

a) Sigillum, in ora dextra nonnihil laesum, appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.

b) Indictio notata respondet anno Chr. indicato. Ratisbonam ab Austria redux hoc anno Fridericus II. pascha ibi celebravit, quod in diem 19. April. cadebat, ibique adhuc 28. April. morabatur. Cnfr. Raumer Hohenstaufen II. 577. et laudatos ibi auctores.

c) Editum in de Gudenus Cod. dipl. I. 542. n. 219. ex authographo. Memoratum in Joannis Vol. I. rerum Mogunt. 598. n. 9.

DCCLIII.

Anno 1237. 18. Maii. apud Giselingen.

Fridericus II. imperator, in gratiam episcopi Babenbergensis, iudicibus universis interdicit, ne clericos, cives et ministeriales ecclesiae Babenbergensis ad forum ipsorum, contra libertatem ipsius ecclesiae, proprio motu respondere cogant.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex vniuersis Judicibus suis per imperium constitutis presentes litteras inspecturis fidelibus suis. gratiam suam et omne bonum. Exposuit celsitudini nostre. venerabilis Babenbergensis Episcopus dilectus princeps noster. quod uos Clericos et Ciues. Ciuitatis sue necnon Ministeriales Babenbergensis ecclesie. ad forum uestrum. pro quacumque causa. contra antiquam libertatem. ipsius ecclesie. et contra iusticiam. auctoritate propria euocantes ipsos. coram uobis respondere cogatis. Nos igitur quorum interest seruare singulis ecclesiis sua iura. attendentes deuota seruicia dicti principis nostri. quibus instanter deuotum se exhibet. nostro Culmini. et paratum nolentes ut Babenbergensis ecclesia in libertate sua prematur. quin pocius pro suis

iuribus amplietur. vniuersitati uestre mandamus. per obtentum gratie nostre firmiter precipientes. quatenus Clericos et Ciues Ciuitatis Babenbergensis. necnon ministeriales ecclesie ipsius. ad uestra iudicia. ex aliqua causa. contra libertatem ecclesie predicte. Motu proprio. nullatenus euocetis. nec eos respondere coram uobis ammodo conpellatis. Scituri quod gratum habere non possemus. si super hoc querimonia dicti principis nostri ammodo contingeret aures nostras.

Data apud Giselingen XVIII. Madii. Xme. Indictionis.

a) Sigillum fractum appendet ex filis sericis caerulei coloris, disrupta tamen maiore filorum parte. Fragmentum, quod superest, nonnisi manum utramque imperatoris cum parte corporis eius a pectore usque ad pedem sinistrum exhibet.

b) Annus non est expressus, satis autem indicatus per indictionem, quae post titulum regis Jerusalem a Friderico II. assumtum solo anno 1237. currebat.

c) Editum in modum speciminis in der Bamberger Deduction über Fürth, Cod. diplom. num. 29. in Ussermann episc. Bamb. Cod. p. 151.

DCCLIV.

Anno 1237. Mense Augusto. apud Windahe.

Fridericus II. imperator, testatur, quod civitas Seligenstat non spectet ad imperium, sed ipse, iure hereditario feodaliter eam possideat ab ecclesia Maguntina, iam inde a tempore avi et patris sui.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens Scriptum notum facimus

vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Ciuitas Seligenstat non spectat ad imperium set (sed) eandem Ciuitatem iure hereditario feodaliter possidemus ab ecclesia maguntina. sicut auus et pater noster diui augusti recolende memorie, eam per eandem ecclesiam possedisse noscuntur. vt igitur super hoc inposterum nulla dubietas oriatur, presentis protestacionis paginam fieri et maiestatis nostre Sigillo iussimus communiri. Acta sunt hec anno dominice Incarnacionis Millesimo ducentesimo. Tricesimo Septimo. Mense augusti. decime Indictionis.

Datum in Castris apud windahe. Anno. Mense. et Indictione prescriptis.

a) Sigilli appensi, quod periit, remansere vestigia, fila serica flavi coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio notata respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Joannis tabularum veterum spicilegio I. 456.

DCCLV.

Anno 1237. mense Augusto. apud Wilheim.

Fridericus II. imperator, pro certa pecuniae quantitate et pro resignato sibi theloneo in Schardinga, a Rudigero episcopo Pataviensi, nimium debitis gravato, eiusque ecclesia in pignus recipit omnia feoda, quae Liupoldus, quondam Austriae et Styriae dux, ab ecclesia Pataviensi tenuerat titulo feodali.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator; semper augustus. Jerusalem et Sycilie Rex. Cum culmen nostre deceat maiestatis; ne ea que acta a nobis fuerint uel promissa; diuersorum no-

bis incumbentium negotiorum materia impediat; effectui mancipari; presentibus litteris, duxit nostra serenitas singulis declarandum; quod cum dilectus Princeps noster Rudegerus venerabilis Patauiensis Episcopus; pro debitis ecclesie sue a creditoribus Romanis et Senensibus nimium grauaretur; nec haberet unde soluere posset sua debita; Episcopus memoratus. inter nos et ipsum, de bonorum et fidelium nostri Imperii (consensu), tale fuit medium adinuentum; quod idem Episcopus feoda omnia, que Liupoldus quondam Austrie et Styrie Dux, in utraque terra tam ab eo quam a sua ecclesia Patauiensi uidelicet, tenuerat titulo feodali, nobis pro mille Quadringentis marcis argenti ad pondus Coloniense soluendis, obligauit; et insuper pro sexcentis libris denariorum Patauiensis monete; quas se recepisse fatebatur, de prouentibus thelonei in Schardinga. quamdiu idem theloneum ex permissione Imperiali tenuerat; prout constat; inuestiens nos de ipso feodo, tantum titulo pignoris tenendo; coram Nobilibus Imperii fidelibus. Friderico de Truhendinge. wolfrado de Chrutheim. et Burgrauio de Nurenberch; et aliis quam pluribus; assignans etiam corporalem possessionem feodorum predictorum nuntio nostro, ad hoc specialiter a nostra excellentia deputato; inuestiuit etiam dictus Episcopus Fr(idericum) de Truhendinge; loco et in persona Chunradi in Romanorum Regem electi; et Regni Jerosolimitani Heredis, Karissimi filii nostri. de predicto feodo similiter titulo pignoris tenendo. si nos ei premori contingerit, pecunia prestita, non soluta; et nos, uel Chunradus Rex, filius noster, tenebimus et possidebimus, titulo pignoris tantum, feodum antedictum; iuxta obligationem predictam, ita ut prouentus eiusdem feudi, absque sortis diminutione nobis cedant; quoadusque per eundem Episcopum, et ecclesiam, uel suos successores nobis fuerit satisfactum integre, de predicta pecunie quantitate; extunc enim inantea erit sine contradictione qualibet, tam Episcopo, quam Patauiensi ecclesie, obligatum feodum, absolutum; Resignauit etiam idem Episcopus; et renuntiauit theloneo in Schardinga; prout habuerat hactenus hoc a nobis. Insuper promisit nobis firmiter Episcopus supradictus; dare uel mittere nobis litteras Capituli sui, cum sigillo et attestationibus, de ratihabitione obligationis et pi-

gnoraticie, prout superius est expressum. Nos uero protestamur ac dicimus nos teneri, quod et uolumus adimplere; de predictis mille quadringentis marcis argenti per nos uel per nuntium nostrum, debere ac uelle soluere, primo uenturo festo beati Martini vndecime Indictionis, quingentas marcas argenti, ad pondus Coloniense; et reliquas nongentas marcas, ad pondus memoratum in Kalendis primi tunc uenturi Mensis madij; sibi uel nuntio suo; per nos uel per nuntium nostrum, contradictione qualibet, non obstante. vt igitur presens obligatio permaneat inconcussa; ad futuram rei memoriam et cautelam memorati Episcopi, et ecclesie Patauiensis, presens instrumentum conscribi, et sigilli nostri munimine et appensione iussimus roborari.

Acta sunt hec in Castris apud Wilheim. Anno domini; Millesimo CC°. XXXVII. In Mense augusto. Decime Indictionis.

a) Sigilli appensi, sed avulsi, remansit vestigium, pars superior filorum sericorum flavi coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio notata respondet anno Chr. expresso.

c) Editum a L. B. de Hormayr in: Wiener Jahrbücher der Literatur 1827. XV. Bd. 116. 117.

DCCLVI.

DCCLVI.

Anno 1237. Fine Septembr. apud Clusam Sabione.

Fridericus II. imperator Rudegero Pataviensi episcopo, fide data et iureiurando, promittit consilium et auxilium contra omnes, qui eum offendere, vel honorem et dignitatem eius diminuere attentaverint.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem et Sycilie Rex. Tenore presentium notum fieri uolumus vniuersis quod nos fide data promisimus tibi Rudegero venerabili Pattauiensi Episcopo dilecto principi nostro assistere. et astare. consilio et auxilio contra omnes personas qui intenderent te offendere. in persona. hominibus ecclesie et bonis tuis. uel honorem et dignitatem tuam diminuere attemptarent. et siquid horum audire. uel scire poterimus quod aduersus te. aliquid machinetur curabimus te reddere cautum et certum. et quibuscunque modis poterimus opponemus nos ad disturbandum omnem offensionem et scandalum que incepta forent uel contra te fieri tractarentur. Nec paciemur honorem et dignitatem tuam minui. uel tibi subtrahi iura tua. Insuper data fide promittimus. quod nullum pactum conpositionem uel tractatum aliquem habebimus uel recipiemus cum aliqua persona. sine te. requisitione et conscientia tua. Hec omnia attendemus et obseruabimus bona fide sine fraude. sic nos deus adiuuet. Acta sunt hec Anno dominice Incarnationis Millesimo. ducentesimo. Tricesimo septimo. Mense Septembris. vndecime Indictionis. Data apud Clusam sabione. Anno Mense et Indictione prescriptis.

a) Sigilli appensi, sed avulsi, remansere vestigia, foramina duo, in serendo segmento membranaceo apta, et locus subalbus membranae exterioris olim ab ipso segmento tectus.

b) Indictio caesarea, currens à 24. Septembr., respondet anno Chr. expresso.

c) Ineditum.

DCCLVII.

Anno 1237. mens. Decembri. Apud Laudam.

Fridericus II. imperator Lantgravio de Luckenberch, fideli suo, ducatum curruum per districtum comitatus eius committit, quem etiam tenuerunt antecessores eius.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens scriptum notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris. quod lancgrauius de luckenberch fidelis noster. optinuit legitime coram nobis. quod ipse ducatum Curruum per districtum Comitatus sui tenere debeat. sicut antecessores sui. ipsum ducatum tenuisse noscuntur. Quare Mandamus. quatenus nullus sit. qui ipsum lancgrauium in predicto Ducatu impediat uel molestet. Ad Cuius Rej memoriam presens Scriptum fieri et Sigillo nostro iussimus communiri.

Datum apud Laudam. anno. dominice Incarnacionis. Millesimo. Ducentesimo. Tricesimo Septimo. Mense Decembris. XI[a]. Indictionis.

a) Sigillum, in ora maxime laesum, appendet ex duobus segmentis membranaceis.

b) Indictio respondet anno expresso. Juxta Raumer III. 753. toto

adhuc anno 1237. apud Laudam sive in exercitu imperator fuit. Cnfr. Böhmer Regesta 1237. n. 3499. 3500. 5. Jan. 1238.

c) Editum in Hundii Stammbuch II. 2.

DCCLVIII.

Anno 1237. Mense Decembri. apud Hagenowe.

Conradus IV., in regem electus, ad petitionem Eistetensis Episcopi, sententiam principum in praesentia sua latam, publicat: quod nullus excommunicatus a domino suo, de cuius manu feodum accipere debet, infeodetur.

Conr(adus) diui Augusti Imperatoris Friderici filius. dei gratia Romanorum in Regem Electus semper Augustus et Heres regni Jerosolymitarum. Tenore presentium notum esse uolumus uniuersis. quod ad requisitionem dilecti familiaris nostri Honorabilis Principis Imperii Eistetensis Episcopi. asistentibus nobis principibus et aliis nobilibus quam pluribus. talis in presentia nostra lata fuit sententia. et ab omnibus approbata. quod nullus excommunicatus tanquam comunione fidelium priuatus feodo suo a domino suo de cuius manu id accipere debet, aliquatenus debeat infeodari, cum talis ad actus legitimos nullatenus sit admittendus. vnde ad supplicationem predicti Episcopi eandem sententiam conscribi fecimus et Sigillo regio roborari. Actum apud Hagenowe Mense Decembris vndecime Indictionis.

a) Sigillum in omni ora laesum appendet ex segmento membranaceo. Praedicta laesione pleraeque inscriptionis circa imaginem litterae perierunt; distincte autem adhuc legitur altera inscriptio in area.

b) Indictio XI^ma^. pro mense Decembri communiter usitata, caesarea

[illegible] Decembri. [illegible]

[illegible]

DCCLIX.

[illegible] inter 24 — 30. Septembr. [illegible]

Fridericus II. imperator civibus de Nordelingen precariam ad triennium sequens completum remittit, ut civitatem et domos, incendio combustas, valeant reparare.

F(ridericus) dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens Scriptum notum facimus vniuersis. Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, quod cum ciuitas Nordelingen, emergente infortunij casu, combusta fuerit, et Ciues propter combustionem eandem, in personis et rebus, grauia fuerint dampna perpessi, Supplicauerunt celsitudini nostre, ut eorum conpacientes incommodis, aliquam gratiam et Misericordiam cum eis super remissione precarie pro tempore facere dignaremur. Nos igitur ad eosdem fideles nostros, pro tali inextimabili (inestimabili) dampno, compacienciam benignam habentes, vt reparacioni Ciuitatis et domorum suarum quiete uacare ualeant, nec aliqua exactione grauentur, a presenti Mense Septembris, duodecime Indictionis, usque ad completum Triennium quartedecime Indictionis, precariam eiusdem ciuitatis ciuibus, de innata clemencia duximus uniuersaliter remittendam. Ad cuius remissionis

Memoriam et cautelam presens Scriptum fieri, et sigillo nostro iussimus communirj. anno Mense et Indictione subscriptis.

Datum In castris jn obsidione Brixie Anno dominice Incarnacionis Millesimo ducentesimo Tricesimo Octauo. Mense Septembris XIIe. Indictionis.

a) Sigillum, in ora sua sinistra laesum, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris; capsulae ligneae est inclusum.

b) Indictio, dicta caesarea, a 24. Septembr. respondet anno Chr. expresso.

c) Editum in Lünig Reichsarchiv. Part. special. contin. IV. P. II. sive operis T. XIV. p. 3. n. 1.

DCCLX.

Anno 1239. 1. Januar. apud Hagenowe.

Conradus IV., in regem electus, sororibus de valle Sanctae Mariae Cysterciensis ordinis, immunitatem concedit.

Conr(adus) diui augusti Imperatoris. Fr(iderici) filius. dei gratia Romanorum in Regem Electus. semper Augustus. et Heres regni Jerosolimitani. Vniuersis presentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Pro parte sororum de valle sanctae Marie Cysterciensis ordinis fidelium nostrarum sublimitati nostre fuit humiliter suplicatum. ut ad incrementum nove plantacionis earum locum ipsum. et personas in eo domino famulantes. cum bonis et possessionibus suis. que in presentiarum iuste possident. et que inantea legitime poterunt adipisci in nostre protectionis gratiam recipere dignaremur. Nos itaque pietate solita qua locis et personis deo dicatis adesse consueuit fauor Regius.

porrectis nobis suplicationibus annuentes. locum earumdem sororum. et personas ibidem domino famulantes. cum bonis et possessionibus suis iuste habitis et habendis sub nostre protectionis gratiam recipimus specialem. Mandantes vniuersitati uestre auctoritate domini et patris nostri Romani Imperatoris serenissimi et nostra firmiter precipientes. ut nullus sit qui predictum locum vallis sancte Marie. aut eius personas cum rebus et possessionibus eidem loco pertinentibus presumat vel audeat contra presentis protectionis nostre paginam aliqua perturbationis specie molestare. quod qui presumpserit, indignationem nostram et Imperii se sciat grauiter incurrisse. Datum apud Hagenowe primo Januarii duodecime Indictionis.

a) Sigillum illaesum appendet ex duplici segmento membranaceo.

b) Indictio denotat annum Chr. 1239. omissum.

c) Ineditum.

d) Annus fundationis coenobii monialium de Valle S. Mariae, alio nomine Frauenthal, est 1232., expressus in litteris Hermanni episcopi Wirceb. apud Wibel II. 41. et Ussermann Cod. episc. Wirceb. 57. num. 61.

DCCLXI.

Anno 1239. Mense Martio. apud Nuorinberc.

Conradus IV. in regem electus civibus de Nordelingen gratiam, a patre suo Friderico II. imperatore factam, super triennali remissione stiurae sive precariae, ad alios duos annos extendit.

Conr(adus). diui augusti Imperatoris Fr(iderici) filius, dei gratia Romanorum in Regem Electus, Semper augustus, et Heres

regni Jerusalimitarum, Vniuersis tam presentibus. quam futuris, presentes litteras inspecturis, fidelibus Imperii. gratiam suam et omne bonum. Dignum censemus et consonum equitati. ut eorum subiecte deuotioni. uberiorem innate nobis pietatis. effundamus gratiam. quorum et uidemus necessitatibus succurrendum et ad imitationem imperialis gratie, gratiam adaugendam. Hac sicquidem ratione notum esse cupimus, et protestamur. quod Nos de plenitudine consilii nostri, supplicationibus Ministri et Ciuium de Nordelingen fidelium nostrorum fauorabiliter inclinatj. pro exustione ciuitatis ipsorum gratie. quam Dominus et Genitor noster Romanorum Imperator serenissimus, ipsis, de libertate trium annorum fecisse dicitur. prout in suis litteris plenius asserunt contineri gratiam duorum annorum superaddentes liberaliter et benigne. nolumus ut eisdem annis aliqua ab eis stiura siue precaria exigatur. nunc ad reedificationem dicte ciuitatis libera nostra gaudeant gratia, et fauore. Vt igitur in posterum dicta libertas eisdem. Ministro, et Ciuibus obseruetur, presentem cartam sigillo nostri culminis fecimus roborari. Datum apud Nuoerinberc. anno dominice incarnationis. Millesimo Ducentesimo. Tricesimo Nono. Mense Marcii. Duodecime Indictionis.

a) Sigillum, quod appendebat, decidit, separatim nunc adiacet, capsulae ligneae inclusum. Vestigia appensi sigilli remansere fila serica rubri et flavi coloris membranae inferius complicatae innexa, et ipsum sigillum permeantia.

b) Indictio respondet anno Chr. expresso.

c) Editum in Lünig Reichsarchiv. Parte spec. contin. IV. P. II. sive operis T. XIV. z. n. 2.

DCCLXII.

Anno 1239. Mense Maio. apud Horburc.

Conradus IV., in regem electus, priorissam et conventum in loco Griez apud Augustam, cum omnibus personis et possessionibus, sub speciali protectione recipit.

Conr(adus), diui Augusti Imperatoris Fr(iderici) filius, dei gratia Romanorum in Regem Electus, Semper Augustus, et Heres regni Jerosolimitarum vniuersis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis Imperpetuum. Quanto diuina potentia nostros ampliat tytulos et extollit uberius. tanto illi deuotius circa ecclesiarum profectus, censemus nos merito debitores. Hac siquidem ratione notum esse uolumus tam presentibus quam futuris, quod nos deuotis supplicationibus Priorisse et conuentus in loco qui dicitur Griez apud Augustam sub regula beatj Augustini degentium, fauorabiliter inclinatj. Monasterium ipsarum, et personas in eo domino famulantes, cum vniuersis possessionibus et bonis suis. que in presentiarum iuste possident aut in futurum iustis modis poterunt adipisci. sub nostre et imperii protectionis gratia recepimus speciali. Mandantes et per optentum paterne, et nostre gratie precipientes firmiter et districte, quatenus, nulla persona Humilis uel alta, ecclesiastica uel mundana, eandem priorissam uel sorores easdem, contra presentis protectionis nostre gratiam presumat uel audeat impedire. Quod qui presumpserit indignationem nostram et Imperij se sciat irrecuperabiliter incurrisse. Datum apud Horburc Anno dominice incarnationis Millesimo Ducentesimo Tricesimo Nono. Mense Maij. Duodecime Indictionis.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansit sola pars superior filorum sericorum rubri et flavi coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b)

b) Indictio respondet anno Ch. indicato.

c) Ineditum.

DCCLXIII.

Anno 1239. mense Junio. apud Egram.

Conradus IV. in regem electus sententiam principum promulgat, latam in favorem civium Ratisbonensium, ne quis personas vel res eorum ratione pignoris detineat, nisi civis pro cive, a quo alias ius suum quis consequi non valeret.

Conr(adus) diui Augusti Imperatoris Fr(iderici) filius, dei gratia Romanorum in Regem Electus, Semper Augustus, et Heres regni Jerosolymitarum. Vniuersis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Vniuersitati vestre notum esse volumus per presentes, quod ad requisitionem Ciuium Ratisponensium, nostrorum et imperii fidelium, dictantibus eam principibus, baronibus, Comitibus, et aliis nobilibus qui aderant, talis in presentia nostri culminis lata fuit sententia et ab omnibus approbata, quod nulli prorsus liceat personas uel res dictorum Ciuium, occasione Ratisponensis episcopi, Ducis bawarie, uel alia occasione aliqua detinere ratione pignoris. nisi Ciuis. pro Ciue, a quo alias ius suum quis consequi non valeret. Quocirca mandamus de plenitudine consilii nostri, Auctoritate domni et Genitoris nostri Romanorum Imperatoris et nostra, precipientes firmiter et districte, quatenus, nullus sit qui predictos Ciues in personis uel rebus suis contra presentis tenorem sententie, grauare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram et Imperii se nouerit incurisse. Datum apud Egram Anno Domini Millesimo Ducentesimo Tricesimo Nono. Mense Junii. Duodecime Indictionis.

a) Sigillum, in parte superiori et inferiori laesum, qua laesione mediae et finientis circa imaginem inscriptionis litterae non paucae evanuerunt, appendet ex filis sericis rubri coloris. Adest etiam alterum diploma originale eiusdem tenoris, cui appendet sigillum illaesum et bene expressum; adhibita tamen fila serica sunt viridis coloris.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Ineditum, memoratum autem et extractum a Gemeiner in der Reichsstadt Regensb. Chronik. I. 340.

DCCLXIV.

Anno 1240. mense Maio. apud Nordelingen.

Conradus IV. in regem electus quatuor sententias principum promulgat et roborat, quas coram se Egeno Brixinensis electus obtinuit: 1. quod post suscepta regalia universa episcopatus officia possit conferre, exceptis quatuor principalibus; 2. quod excommunicatis possint feuda denegari; 3. quod oppignorationes et alienationes bonorum ad utilitatem ecclesiae possit revocare; 4. quod perdurantem in excommunicatione proscriptionis gladio possit ferire.

Conradus diui Augusti Imperatoris Friderici filius, dei gratia Romanorum in Regem Electus, semper Augustus, et Heres regni Hierosolymitani (Jerosolomitani), vniuersis presentes litteras inspecturis fidelibus Imperii, gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium ad modernorum et futurorum notitiam pervenire cupimus et protendi. Quod ad requisitionem Egenonis venerabilis Electi Brixinensis ecclesie dilecti principis nostri post recep-

tam inuestituram regalium per manus nostras, dictantibus eas principibus, baronibus et nobilibus qui aderant idem subscriptas obtinuit sententias coram nobis. primo videlicet quod post suscepta regalia, vniuersa officia episcopatus sui suis manibus sint soluta, exceptis quatuor offficiis principalibus, que consequentiam post se trahunt. Item quod durantibus in excommunicatione, sua possint feuda denegari, et detineri legitime. eoquod tales communione debita sint priuati. Ad hoc, cum ipso iure nulle sint eorum (leg. quod) vniuersas obligationes pignorum, concessiones feudorum seu quascumque alienationes bonorum episcopatus sui. factas Imperii et sui capituli non accedente consensu possit et debeat licite ad utilitatem ecclesie reuocare. Preterea sententiatum exstitit ad instantiam principis memorati. Quod ratione gladiorum, spiritualis videlicet et materialis quibus sua episcopalis dignitas est fulcita. sex septimanis in excommunicationis vel prescriptionis (proscriptionis) uinculo perdurantem, licite potest iuxta terre consuetudinem, actore petente percellere altero gladiorum. ita quod excommunicati proscribentur (proscribantur), et e conuerso proscripti excommunicationis sententie innodentur. Ad quarum sentenciarum memoriam retinendam. presentem. paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum apud Nordelingen anno gratie. Milles. Ducentesimo Quadrigesimo (quadragesimo). Mense Maii. Tercie decime Indictionis.

a) Sigillum fractum appendere testatur copia; nam Originale redditum est.

b) Indictio convenit cum anno Chr. expresso.

c) Editum in Baron Hormayrs Archiv für Süddeutschland I. 138. num. 1.

DCCLXV.

Anno 1240. Mense Junio. Capuae.

Fridericus II. imperator abbati et conventui Sancti Uodalrici apud Augustam, privilegium, ab avo suo Friderico I. anno 1182. 7. Oct. indultum, inserendo renovat et confirmat.

Fridericus dei gratia Romanorum Imperator Semper Augustus. Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens scriptum notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris quod Venerabilis Abbas et Conuentus sancti Uodalrici aput (apud) Augustam culmini nostro humiliter supplicarunt, ut quoddam priuilegium diuj Augusti Imperatoris quondam Friderici auj nostri memorie recolende, liberaliter dudum ipsis indultum, eis innouare, et omnia que continentur in eo confirmare de nostra gratia dignaremur. cuius tenor per omnia talis est. „In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus etc." (Acta MCLXXXII. etc. Datum Auguste Nonis Octobris. quod habetur ex originali ad an. 1182. 7. Oct.) Nos itaque qui certas fidelium nostrorum petitiones non nouimus obaudire attendentes fidem puram et deuotionem sinceram predictorum Abbatis et Conuentus sancti Vdalrici aput (apud) Augustam fidelium nostrorum, quam ad maiestatis nostre personam et sacrum Imperium habent, ipsorum quoque supplicationibus benignius inclinati, suprascriptum privilegium diui Augusti Imperatoris quondam Friderici auj nostri memorie recolende, huic nostro priuilegio inseri iussimus, et omnia que continentur in eodem Imperialis preminentie nostre gratia confirmamus. Statuimus igitur et Imperiali sancctimus (sancimus) edicto firmiter iniungentes, quatinus nulla persona alta uel humilis, ecclesiastica uel mundana prefatos Abbatem et Conuentum sancti Vdalrici aput (apud) Augustam fideles nostros, contra presentis priuilegii nostri tenorem, ausu temerario inquietare, molestare seu perturbare presumat. Quod

qui presumpserit indignationem nostri culminis se nouerit incursurum. Ad huius itaque innouationis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuum ualiturum, presens priuilegium fieri et maiestatis nostre Sigillo iussimus communiri.

Data Capue Anno dominice Incarnationis Millesimo. ducentesimo. Quadragesimo. Mense Junio. Tertie decime Indictionis.

a) Sigillum in omni ora nec non in parte inferiori imaginis laesum, qua laesione tota fere circa imaginem inscriptio periit, appendet ex filis sericis flavi coloris. Ipsum autem sigillum capsulae ligneae recens inclusum sicque munitum est.

b) Indictio convenit cum anno Chr. indicato.

c) Innovationis diploma ineditum, memoratum autem in Mon. Boic. XXII. 195. in nota ad finem diplomatis inserti de anno 1182. 7. Octob., quod ibi impressum legitur.

d) Littera prima post titulum deest in originali, relicto illi spatio vacuo.

DCCLXVI.

Anno 1240. 25. Julii. apud Hovwotse.

Conradus IV. in regem electus, vetustissimo diplomate regio, quod vulgari lingua exaratum legitur, quemdam arbitrii modum promulgat et confirmat, quo Folcmarus de Kemenathen, fidelis suus, et civitas sua de Buoeron (Kaufbeuren) convenerunt super curia quadam ipsius Folcmari, inter civitatem praedictam et sepimentum quoddam illius sita, ut sic in communitatem civitatis recipiatur.

Namen gotes Amen. Wir Cuonrat im Romschen Kunc erwelt von der gotes gnade. vnde erbe des Kuncriches ze Jerusalem. Tvn kunt allen den die disen brief iemmer gesehent. daz wir folcmaren von kemenathen. vnde vnser stat ze Buoeron alsus verschieden vnder ein ander. Folcmar hat gegebin den burgaeren vnde der stat. ze wider wehsel den Hof, der hern Hermannes was des phaffen. der da lit nidenan an der stat vnder den barmin, vnd als sin staingruoebe gat. vf an den geworfen wec. vnd die Rihte an den anderen berc. vnde dannan an sin selbes zvn. vnde swaz in den zvuoenin iezvo begriffen ist, daz sol er buowen. vnd sol och mit buwe nit me begriffen. Da wider swaz buoerere gemeinde hant, daz sol och sin volcmars gemeinde. vnd swaz er oder sine nachkomelinge gemeinde hant, daz sol och buoeraer gemeinde sin. vnd swaz nit en buwe lit. da suoln sie getraten sin beidenthalp. von der burc vnz an die stat. vnd von der stat vnz an die burc. vnd ist och also gescheiden. swaz Bvraeren schaden vf dem iren geschiht, mit gewalte vnd wizzintliche, daz sol man in gelten vnde bezern als reht ist. vnd sol doch der Schait dar nach staeite sin. Hier an was Conrad der Schenke von Wintherstet vnser getriwer. vnd Conrad der Liut-

kirchaer der Amman von Buoeron. vnd daz diz staete belibe so hiezen wir disen brief besigeln, mit vnserm insigele. Dirre brief ist gegeben vnd geschriben. von vnsers Herren geburtlichem tage. Tusent zwaihundert vnd fierzech iar. Innan Hovwotse. An sante Jacobes tage. saeiliche. Amen.

a) Sigillum, in ora sinistra fractum et laesum, appendet ex filis sericis viridis et subcaerulei coloris. Laesione praedicta evanuit pars potior inscriptionis, incipientis ac mediae.

b) Indictio non est expressa.

c) Editum in Lünig Reichsarchiv Part. Speciali, continuat. IV. Theil. I. operis totius Tom. XIII. p. 1250, idiomate tamen Germanico frequenter immutato, sensu quoque diplomatis aliquoties depravato.

d) Desumtum ex Archivo civitatis Kaufburon.

DCCLXVII.

Anno 1240. Mense Novembri. apud Nurenberc.

Conradus IV. in regem electus, auctoritate patris sui Friderici II. et sua, Alhardum abbatem de Ebra et conventum, Cisterciensis ordinis, cum personis et bonis, nominatim cum praedio et parrochia de Swabach, in specialem protectionem recipiens, iuxta primariam institutionem ab omni advocatia eximit, excepto solo imperatore.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Cunradus diui augusti Imperatoris Friderici filius dei gracia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni hierusalem. Regalis excel-

lentia tunc precipue sui nominis titulos ampliat et extollit. cum loca diuino cultui mancipata et personas in eisdem domino famulantes pia mentis affectione in suis fouet iuribus et eorum supplicationibus fauorabiliter se inclinat. Hac siquidem ratione ad modernorum et futurorum plenam noticiam peruenire cupimus et protendi. quod nos ad supplicationem Alhardi venerabilis abbatis de Ebra suique conuentus cisterciensis ordinis fidelium nostrorum salubriter ad imitacionem diuorum progenitorum nostrorum ipsam ecclesiam Ebracensem cum personis et omnibus bonis suis et specialiter cum predio de Swabach cum attinente sibi parrochia eiusque pertinentiis sub nostre et inperii protectionis presidio assumpsimus speciali auctoritate paterna qua fungimur et nostra firmiter statuentes ut sicut ordo cisterciensis ab omni aduocatorum genere iuxta primariam institutionem suam semper liber extitit et inmunis. sic deinceps eadem ecclesia excepto solo Romanorum inperatore nulli prorsus aduocatorum nisi cui voluntarie se subiecerit ita quod velle suum postea valeat inmutare per predia et possessiones suas aliquatenus sit subiecta. Quo circa mandamus per obtentum gracie domni et patris nostri Romanorum Inperatoris Friderici secundi et nostre precipientes firmiter et districte ut nulla sit persona humilis uel alta ecclesiastica uel mundana que predictum monasterium et personas in eo domino famulantes super premisso predio in Swabach et ecclesia prenotata cum suis pertinentiis presumat uel audeat contra presentem nostram gratiam molestare Quod qui presumpserit. indignationem nostram et inperii se noverit incurisse (incurrisse). Huius rei testes sunt. Hermannus herwipolensis. Fridericus heistetensis. Landolfus wormaciensis episcopi. Hainricus langrauius Turingie. Gebehardus de Arnstein. Gotfridus de hohenloch. Krafto de bokesberc. Cunradus pincerna de wintersteten. Cunradus de Smidevelt. Marquardus Buttigularius de Nurenberc. Cvnradus notarius et alii quam plures. Acta anno dominice incarnacionis. Millesimo. Ducentesimo. Quadragesimo. mense nouembris. quartedecime Indictionis. Data apud Nurenber (Nurenberc) mense Indictione prescriptis feliciter Amen.

a)

a) Sigillum, in parte superiore et in omni fere ora laesum, appendet ex filis sericis rubri et albi coloris. Praedicta laesione evanuit caput regis cum pluribus litteris inscriptionis.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno Chr. indicato 1240.

c) Editum in privilegiis Eberacens. II. 7. num. 49. in Wölkern Historia Norimb. Dipl. II. 108. num. 12., in Falkenstein Cod. diplom. Antiqu. Nordg. 51. num. 36. et in eiusdem chronico Schwabacensi p. 19.

d) Cnfr. desuper priores confirmationes 1195. 16. Jul. 1200. 15. Mart. 1209. 24. Febr. 1213. 26. Febr. 1223. 11. Septembr. insuper 1235. mense Jun. ex confirmatione Rudolphi I. 1274. 15. Decembr.

DCCLXVIII.

Anno 1241. Mense Octobri. apud Vberlingen.

Conradus IV. in regem electus, tractatum, de verbo in verbum insertum, quem Eberhardus, abbas de Salem et eius conventus cum Conrado de Vlma, notario et eius fratre Heinrico, super quadam domo in Vlma usque ad vitae finem eorum tenenda habuerunt, confirmat et variis sigillis munit.

IN nomine domini Amen. Conr(adus) diui Augusti Imperatoris Fr(iderici) filius. dei gratia Romanorum' in Regem Electus semper Augustus, et Heres Regni Jerusalem. Ne quod pie geritur Lapsu temporis valeat scrupulosa calliditas maculare, cautum est sic ea que fivnt prout facta sunt litterarum appicibus commendare. Tenore presentium notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod constituti coram nobis Eberhardus vene-

rabilis Abbas de Salem pro se et suo conventu, et Conradus de Vlma notarius et fidelis noster. cum Heinrico fratre suo Ciue Vlmensi supplicabant nobis, vt tractatum quem inter se habuerant de domo quondam Marquardi Notarii apud vlmam ratificare per nostras litteras dignaremur. Cuius forma talis est. Predictus Coradus (Conradus) notarius dedit Triginta marcas Argenti Claustro de Salem. eo pacto, quod ipse et Heinricus frater suus eandem domum vsque ad terminum vite sue teneant et possideant ad usus suos. et alter succedet alteri post mortem suam. vtroque vero Conrado et Heinrico defunctis nullus Heredum ab eis descendentium quicquam iuris in eadem domo sibi poterit vendicare, sed ad usus et proprietatem predicti Monasterij liberam revertetur. Memoratus quoque Conradus notarius, seu frater eius Heinricus. sarta tecta domus fideliter reficient et emendabunt plenius vbi fuerint emendanda. fratres autem de Salem ad opus suum in predicta domo vnum cellarium et unum solarium retinebunt. Super premissis vero duo literarum paria conscribi debent. quorum utraque pars unum sub nostro et earum sigillis accipiet communitum. Nos itaque dictarum parcium precibus annuentes, et ratificantes auctoritate Regia tractatum eundem prout superius est expressus. sigillum nostrum cum sigillis predicti Abbatis et Conradi notarii nostri. hijs litteris duximus apponendum. Actum apud vberlingen anno gratie. Millesimo. Ducentesimo. Quadragesimo Primo Mense Octobris xv. Indictionis.

a) Sigilla tria appendent ex filis sericis rubri coloris.

I^mum Conradi regis ex omni fere parte illaesum ac bene expressum in cera rubra.

II^dum. Abbatis de Salem pariter illaesum, similiter in cera rubra.

III^tium. Conradi de Vlma clerici, fractum est in duas partes, quarum fragmenta cerae subnigrae quidem adhaerent, attamen nec integram figuram areae nec totam inscriptionem circa eandem figuram exhibent.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno Chr. indicato.

c) Ineditum, memoratum autem a Raumer in den Hohenstaufen II. 588., nimirum ex altero instrumento Stutgardiae asservato.

DCCLXIX.

Anno 1242. 1. Mai. Rotenburc.

Conradus IV. in regem electus, consilio Heinrici Lantgrauii Thuringiae, procuratoris sui per Germaniam et aliorum, quemdam iniquum detentorem ecclesiae in Ellingen, Eystetensis diocoesis, ab amministratione ipsius ecclesiae amovet et eandem fratribus hospitalis sanctae Mariae domus Theutonicae in Jerusalem, quibus olim sub Hermanno de Salza a Friderico II. imperatore donata erat, adiudicat.

Conr(adus) diui Augusti Imperatoris Fr(iderici) filius dei Gratia Romanorum in Regem Electus, semper Augustus, et Heres Regni Jerusalem. vniuersis Imperii fidelibus imperpetuum. Ex tenore Priuilegiorum diui patris ac domini nostri Fr(iderici) Serenissimi Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ad quem ius et proprietas ecclesie in Ellingen, Eystetensis dyocoesis, pertinuisse certissime noscebatur, nobis constitit euidenter, dictam ecclesiam ex munificentia ipsius Magistro Hermanno de Salza bone memorie et domui sue videlicet hospitali sancte Marie domus Theutonicae in Jerusalem liberaliter pleno et integro iure esse donatam pariter et collatam. Verum cum.... Sacerdos dictus Prepositus, qui eandem tenebat ecclesiam omni iuri suo renuncians, ipsam ad dies uite sue de manu prefati Magistri nomine domus Theutonicae recepisset, idem minus sano ductus consilio deum non timens, et hominem non reueritus possessionem antedicte domus euertere cupiens et turbare, Immo totum ipsius ius penitus eneruare, Jus

alienum ad se non pertinens falso sibi usurpans ueri dominii potestatem, quasi mercenarius et non pastor, Preposito et Monasterio in Bergkersgademe ius quod non habuit, furtiue et clamdestine recognouit, pactis et factis illicitis interuenientibus, ut dicitur, in prefate domus preiudicium iniuriam et grauamen, nichilominus iniquitatem addens iniquitati, et laxatis habenis uoluptatum per campos abusiue licentie euagans et discurrens, dotem ecclesie supradicte in dotem scorti et spurie prolis sue conuertens donando inpignorando, et alias sub forma diuersorum tytulorum alienando Jesu Christi patrimonium dilapidauit, et miserabiliter ac enormiter lacerauit. Sane cum huiusmodi notoriam enormitatem iam non fratrum relatio, sed totius uulgi clamor in altum ascendens, et non solum publica fama, immo ipsa Rei euidentia nostro culmini declarasset, cum ex debito regalis celsitudinis omnium quidem ecclesiarum ad nos pertineat sollicitudo, specialiter autem ex commisso diui patris nostri sepe dicte domus cura, cuius fratres proprii sangvinis sunt prodigi pro ampliacione ac conseruatione fidei orthodoxe de prudentum et iurisperitorum consilio dilapidatorem antedictum, qui die Sibi et fratribus a nobis prefixo tamquam de iure suo diffidens, nec comparuit, nec responsalem mittere curauit, nec quidquam de iure suo, si quod habuit, docuit, sicut facturum se coram nobis expressissime obligauit, cum predicti fratres ipso die de iure suo tam per priuilegium Serenissimi patris nostri, quam per uiuos testes plenissime nos instruxerint, et aperte ab amministratione ipsius ecclesie, quam excessibus suis demeruit, duximus amouendum, cum Priuilegium teneatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Cum igitur fratres antedicti patri nostro et Nobis suis exigentibus meritis dilecti pariter et accepti possessionem ecclesie in Ellingen, quam in nostram, ut prediximus, defensionem suscepimus, ne inique machinationis studio deperiret, humiliter repeterent et deuote, Nos de consilio venerabilis Episcopi Wormatiensis, dilecti ac familiaris Principis nostri, necnon dilecti consangvinei et Principis nostri Heinrici Lantgrauii Thuringie, Comitis Palatini Saxonie quem Augustus pater noster procuratorem Nobis et Imperio deputauit per Germaniam, necnon de consilio G. de Hohenlohe.

C. de Cruthein. C. Pincerne de Wintersteten, et C. de Smidenuelt, consiliariorum et fidelium nostrorum et quorundam uirorum jurisperitorum videlicet Magistri Th. Herbipolensis Canonici, Magistri Jo. de Durlo, Magistri E. Babenbergensis Canonici, eisdem fratribus ecclesiam memoratam cum pleno et integro proprietatis et possessionis iure restituimus, et sicut exigente iusticia debuimus, duximus assignandam, paterna et nostra auctoritate mandantes, et districte ac firmiter sub optentu ipsius et nostre gratie precipientes, ne quis eosdem fratres in possessionibus et iuribus ipsius ecclesie molestare quocunque modo audeat uel turbare. Scituris omnibus, quod qui hoc presumpserit paterne a (ac) nostre maiestatis indignationem se incurrisse pena docente sentiet cum effectu. Ne igitur super premissis ulla questio uel ambiguitas in posterum oriatur presentem paginam super hiis conscriptam inpressione ac munimine sigilli nostre celsitudinis iussimus roborari.

Actum Anno Gratie Millesimo Ducentesimo Quadragesimo secundo.

Datum Rotenburc Primo Madij (Q)vintedecime Indictionis.

a) Dupplex adest originale instrumentum.

Primo sigillum integrum et bene expressum appendet ex filis sericis flavi ac rubri coloris.

In altero dependet ex segmento membranaceo, sed fractum est, cuius fragmentum, quod superest, potissimam imaginis ac inscriptionis partem exhibet. Notandae autem variantes lectiones in altero instrumento absque notabili sensus perturbatione.

b) Indictio respondet anno Chr. notato 1242.

c) Editum in deductione Theutonicorum dicta: Brandenb. Usurpationsgesch. im Anhang. Urkunde 105.

DCCLXX.

Anno 1242. Mense Maio. Capue.

Fridericus II. imperator, sororibus ordinis sancti Augustini apud Wizenburch aream, ad Rudigershuobe pertinentem, donat.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Imperialis pietas circa beneficia pauperum, promptam merito se concedit, ex quorum exhibitione, et temporalis dei gratia, et salus prouenit sempiterna. Hac siquidem consideratione ducti ad deuotam supplicationem sororum ordinis sancti Augustini aput (apud) wizenburch fidelium nostrarum, aream quandam pertinentem Rudigershvobe, eisdem duximus conferendam pro ipsarum mansione perpetuo possidendam. Imperiali auctoritate districte precipiendo mandantes quatinus nullus sit, qui ipsas sorores, in prefata area contra presentis concessionis nostre paginam, impedire uel molestare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostri culminis se nouerit incursurum. Ad hujus igitur nostre collationis futuram memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum Capue anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo, Quadragesimo secundo. Mense Madio. Quintedecime Indictionis. —

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansere autem fila serica rubri et flavi coloris, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Schütz corp. hist. Brandenburg. sylloge 77. num. 45. Ex archivo monasterii Wilzburg.

DCCLXXI.

Anno 1242. Mense Junio. in Castris prope Avezanum in Celano.

Fridericus II. imperator, ex sententia principum, in favorem Henrici Babenbergensis electi, praecipit Ramungo de Kamerstein et Butullario de Nuorembere, ut omnes infeudationes, alienationes, donationes, venditiones, obligationes, distractiones et subtractiones, per Bopponem, olim electum Babenbergensem, nunc autem eiusdem inimicum, in damnum ecclesiae a tempore transgressionis eius mense Octobri 1239 factas, revocent, cum ipso feudo quondam comitis de Bogen, quod a filio suo Conrado rege, post transgressionem eius dicitur suscepisse.

FR. (idericus) dei gratia Romanorum Imperator. semper Augustus, Jerusalem, et Sicilie Rex. Tenore presentium notum fieri uolumus vniuersis. quod si eccesiarum (ecclesiarum) iura teneamur uniuersaliter defensare, ob auctoris reuerenciam et honorem, cuius est corpus ecclesia, et unica sponsa sua. ad eas tamen Imperii nostri speciales ecclesias, que principatibus Imperii sunt annexe, in suis redintegrandas iuribus et penitus reformandas, speciali prerogatiua Sollicitudinis et diligencie, tenemur adesse. presertim cum sint conpago ipsius corporis, et nostri Imperij firmamentum. Attendentes igitur qualiter Boppo dictus quondam Babenberiensis (Babenbergensis) electus, recepta per dilectum filium nostrum. Conrradum illustrem Romanorum in Regem electum semper Augustum, et Regni Jerosolimitani heredem, auctoritate nostra inuestitura regalium eiusdem ecclesie, obligauerit se nobis et Imperio, quod contra nostram et Imperij honorem non procederet nec per inimicos nostros transitum faceret, facta quoque sibi super hoc inhibitione per nostras litteras speciali, contra obligatio-

nem suam, et inhibitionem nostram, uenire presumpserit, per inimicos nostros transitum faciendo. et cum eis uerbo et opere, contra nostram comunicauerit dignitatem, ut per obligationem nobis et Imperio factam per eum, ipso ex transgressione commissa, in penam regalium ecclesie incidente, regalia ipsa sint ad nos et Imperium racionabiliter deuoluta, quia post transgressionis crimen, tamquam de rebus ecclesie non curando, multa de feudis et bonis ecclesie infeudauit. alienauit. donauit. uendidit. obligauit. distraxit. pariter et subtraxit. in preiudicium et dampnum ipsius ecclesie ac inestimabilem lesionem. omnes infeudaciones. alienaciones. donaciones. vendiciones. obligaciones. distractiones. et subtractiones per eum factas, a tempore transgressionis. sue ab anno uidelicet dominice Incarnationis. Millesimo ducentessimo. tricesimo. nono Mense Octubris (Octobris), tercie decime Indictionis. dictante sentencia procerum, et ministerialium, nobiscum in publica curia residencium, quando Henricus dicte Babenberiensis (Babenbergensis) ecclesie electus, dilectus princeps noster, erat a nobis iuxta morem regalia recepturus, super reuocatione ipsorum bonorum prouisionem nostram et publicam sentenciam requirendo. sentencialiter duximus reuocandas predictas omnes pronunciantes irritas et inanes. et ecce quod Ramungo de Kamerstein. et butullario de Nuorenberc, fidelibus nostris, plenam concessimus potestatem. predicta omnia que infeudata. alienata. obligata. donata. vendita. districta et subtracta, a tempore transgressionis inuenerint, auctoritate nostri culminis, in eiusdem. H. electi, et ecclesie sue dominium debeant reuocare. Instrumentis, et rescriptis, exinde confectis, si quando comparuerint, nullatenus ualituris. que nullius decernimus esse momenti. vt autem que in publicum edicimus, obseruanda seruemus. et a nobis incipiat nostrorum obseruancia mandatorum, cum nichil gloriosius censeamus, quam subesse legibus, quas dictamus, feudum quondam comitis de Bogen, ad ecclesiam ipsam spectans, quod per eundem quondam electum, post transgressionem suam, a dicto Rege. C. filio nostro, dicitur fuisse susceptum. eidem H. electo. in suorum recepcione regalium duximus resignandum. indignum reputantes, à transgressore tenere, quod in alijs duximus irritandum. Ad cuius

ius rei memoriam. presens scriptum fieri, et Maiestatis nostre sigillo, iussimus communirj.

Datum in Castris. prope Auezanum in celano. Anno dominice Incarnationis. Millesimo. ducentesimo. Quadragesimo secundo. Mense Junij. Quinte decime Indictionis.

a) Sigillum, ex omni fere parte illaesum et bene expressum, appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio ad finem instrumenti occurrens respondet anno indicato. Altera tamen indictio, in medio instrumenti ad mensem Octobr. anni 1239 memorata, caesarea est, Friderico II. imp. plerumque usitata.

c) Editum in Deductione Bamberg. super Fürth, Cod. probat. num. 65. a. et in Ussermanni Episcopatus Bamberg. Cod. probat. 153. num. 174.

DCCLXXII.

Anno 1242. Mense Junio. in castris prope Avezanum in Celano.

Fridericus II. imperator Ramungum de Kamerstein et Butullarium de Nuorenberc constituit procuratores, qui in dominium Henrici Babenbergensis electi omnia revocent, quae olim a Boppone quondam electo Babenbergensi, a mense octobri 1239, in laesionem eiusdem ecclesiae, infeudata, alienata, vendita, obligata, distracta et subtracta fuerant, inclusis etiam bonis comitis quondam de Bogen a rege Conrado filio suo per dictum Bopponem ex eodem tempore susceptis.

Fr(idericus) dei gratia Romanorum Imperator. semper Augustus. Jerusalem et Sicilie Rex. vniuersis presentes litteras inspecturis

fidelibus suis gratiam Suam et omne bonum. Notum sit vniuersitati uestre, quod nos Ramungum de Kamerstein. et butullarium de Nuorenberc. fideles nostros constituimus procuratores ad reuocandum in potestatem et dominium Henrici venerabilis Babenberiensis (Babenbergensis) electi. dilecti principis nostri. et ecclesie ejusdem omnia que per Bopponem dictum quondam Babenberiensem (Babenbergensem) electum a tempore transgressionis sue. ab anno videlicet dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo tricesimo nono. mense octubris. (octobris) terciedecime Indictionis. infeudata. alienata. uendita. obligata. distracta. et subtracta. in eiusdem ecclesie preiudicium et inestimabilem lesionem. sicut in scripta lata Sentencia. quam deferunt. plenius continetur. Quare mandamus et precipimus fidelitati uestre. quatenus ad requisicionem ipsorum procuratorum. ea que a predicto B(oppone) quondam electo a supradicto tempore uobis concessa noscuntur. in potestatem et dominium dicti H(enrici) electi et ecclesie resignetis. cum et nos ea que concessa fuerunt de bonis quondam comitis de Bogen ad ecclesiam ipsam spectantibus. que per dictum B(opponem) quondam electum post transgressionem suam a dilecto filio nostro Rege Cunrrado dicitur fuisse suscepta. resignauerimus in eiusdem H(enrici) electi potestatem. gloriosum reputantes legi edite subiacere. nolentes indigne tenere que collata erant per temerarium transgressorem. Ad cuius rei memoriam presens scriptum fieri. et Maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum in Castris prope Auezanum in celano. anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo Quadragesimo Secundo. Mense Junii. Quintedecime Indictionis.

a) Sigillum, ex omni fere parte illaesum, et bene expressum appendet ex segmento membranaceo.

b) Indictio ad finem instrumenti apposita respondet anno eius indicato. Altera autem indictio, in medio contextus ad mensem Octobr. anni 1239. memorata, caesarea est, saepissime sub imperatore Friderico II. occurrens.

c) Editum in Deductione Bamberg. super Fürth Cod. probat. num. 65. b.

DCCLXXIII.

Anno 1243. 24. Novembr. apud Nurinberc.

Conradus IV. in regem electus, testatur, quod Heinricus Babinbergensis electus, villam in Vrbach, a Marquardo Buthiglario de Nurinberc, fideli suo, cui per Bopponem quondam electum pro marcis ducentis fuerat obligata, pro centum libris denariorum Nurinbergensium redemerit.

Conr(adus) diui Augusti Imperatoris Fr(iderici) filius dei gratia Romanorum in Regem Electus, semper Augustus, et Heres Regni Jerusalem, vniuersis Imperii fidelibus presentes litteras inspecturis, gratiam suam et omne bonum. Constitutus coram nobis Marquardus Buthiglarius de Nurinberc fidelis noster, publice professus fuit, quod venerabilis Heinricus Babinbergensis Electus, dilectus Princeps noster redemerit ab eo villam vrbach, pro Centum libris denariorum Nurinbergensium, que sibi a Boppone quondam Electo, pro marcis ducentis fuerat obligata. Et siquod etiam in posterum immemor forsan professionis facte, Idem M(arquardus) ostenderet instrumentum, inefficax esset omnimodis et inane. Ne uero in posterum super premissis, aliqua contrarietas ualeat suboriri, presentem cedulam sigillo nostri culminis et predicti Buthiglarii sigillo fecimus communiri. Actum apud Nurinberc. Anno domni M°.CC°.XLIII. XXIIII. Neuembr. Indictionis secunde.

a) Duo sigilla integra et optime expressa dependent ex segmentis duobus membranaceis:

I^{mum}. Regis Conradi (IV.);
II^{dum}. Marquardi Butiglarii de Nuerenberch.

b) Indictio dicta caesarea, respondet anno indicato.

c) Editum à Schultes in den hist. Schriften II. 370. num. 44.

DCCLXXIV.

Anno 1245. potius, quam 1244. 20. Februar. apud Nuerenberch.

Conradus IV. rex fratribus minoribus in Nuerenberch Cunradum de Rothe, civem eiusdem urbis, procuratorem constituit, quem ab omni exactione liberat, quamdiu in servitio eorundem fratrum existit.

Conradus. Diui Augusti Imperatoris Fr(iderici) filius. dei gratia. Romanorum in Regem Electus. Semper Augustus et Ḥeres Regni Jerusalem. Butiglario. Sculteto. et vniuersis Ciuibus in Nuerenberc fidelibus suis. gratiam suam et omne bonum. Dum iustis pauperum. Christi desideriis fauorabiliter inclinamur. Et proprie saluti consulimus. et iuxta tradite nobis a deo potestatis officium, alios ad Karitatis opera prouocamus. Cum itaque fratres Minores propter Christum pauperem voluntariam elegerint paupertatem. Nos ad eorum inopiam tam in Edificiis quam in aliis eorum usibus necessariis subleuandam. Ad sue peticionis instantiam, et vestrum consensum. Cunradum de Rothe. Ciuem In Nuerenberc virum utique deum pre oculis habentem et honestum. Predictis fratribus in Nuerenberch degentibus, procuratorem ad omnia eorum negocia iuxta quod necessitas et utilitas exegerit promouenda. de plenitudine nostri Consilii videlicet Godefridi de Hoenlog. Craftonis de Boxperch. Conradi de Smideluelt. Et aliorum nostrorum familiarium duximus statuendum. Ita quod idem. C (unradus) quem propter fratrum negotia suas opor-

tet frequenter utilitates obmittere. Ab omni exactione et precaria liber sit penitus et inmunis. Quam exactionem siue precariam, ipsi pro anime nostre remedio duximus remittendam. Vt fratrum negotiis uacet diligentius et intendat. Saluo tamen eo quod per libertatem huiusmodi eidem. C. (Cunrado) audacia delinquendi non prestetur. cum peccata nocentum esse non debeant inpunita. Nulli ergo omnino hominum Liceat hanc paginam nostre concessionis, seu ordinationis infringere. vel ei ausu temerario contraire. Nam quicumque contra hanc ordinationem siue remissionem nostram sepedictum. C. (Cunradum) in exactione aliqua uel precaria, seu alia quacumque uexatione, quamdiu in seruitio fratrum existit. molestare presumpserit. Indignationem nostram se sentiet grauiter incurrisse. Datum apud Nuerenberch. Anno domini. M°. CC°.XLIIII°. XX°. die Februarii. Tercie Indictionis.

a) Sigillum illaesum et bene expressum appendet ex filis sericis viridis et rubri coloris.

b) Indictio respondet anno Chr. 1245, cui consentit annus antiquus more Romanorum 25. Martii inceptus, quem Fridericus II. aliquotius secutus est v. diploma eius 1244. mens. Febr.

c) Ineditum, paucis autem verbis memoratum apud Ussermann in Episcopat. Bamberg. 430.

DCCLXXV.

Anno 1245. Mense Maio. Alifiae.

Fridericus II. imperator, Sifrido de Vrowemberch, fideli suo et eiusdem haeredibus, auctoritatem tractandi causas super proprietatibus, haereditatibus ac possessionibus, in comitatu de Hage, in quo quondam Gurroni successit, nec non definitivas sententias super latronibus et furibus proferendi concedit.

Fridericus dei gratia Romanorum Imperator Semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens scriptum notum fieri uolumus, vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos attendentes fidem puram et deuotionem inmensam, quam Sifridus de vrowemberch fidelis noster ad Excellenciam nostram gerit, m emo)res quoque Seruitiorum eius que culmini nostro dudum exhibuit et in antea poterit exhibere, auctoritatem sibi et heredibus suis de gratia nostra concessimus tractandi coram eo causas. que Super proprietatibus, hereditatibus, ac possessionibus in comitatu de Hage, in quo quondam Gurroni, fideli nostro legitime Successit, orte fuerint, ac diffinitiuas per eum Super causis ipsis Sententias proferendi. de latronibus quoque et furibus, qui in eodem comitatu, in maleficiis deprehensi fuerint, iudicandi. Ad cuius rei futuram memoriam et Stabilem firmitatem presens Scriptum fieri, et Maiestatis nostre Sigillo iussimus communiri.

Dat. Alifie, anno dominice incarnationis millesimo ducentessimo (ducentesimo) quadragesimo quinto, mense Madii, quarte Indictionis.

a) Sigillum, illaesum quidem, sed minus bene expressum, appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Ad finem contextus in latere sinistro membranae conspicitur quoddam Monogramma diversa manu, alioque atramento scriptum.

c) Indictio erronea notata est loco currentis tertiae.

d) Editum in Hundii Stammbuch II. 72. ex Archivo Hagae invento, et novissime a B. de Hormayr in d. Wiener Jahrb. XL. Bd. 152.

e) Parva lacuna loci exesi facile suppleta est ex contextu, et praedicto editore Hundio.

DCCLXXVI.

Anno 1246. 27. Martii. Schafusae.

Conradus IV. in regem electus, sacerdotes et clericos omnes, qui in celebratione divinorum civibus Ratisponensibus assistere voluerint, sub speciali protectione sua et imperii recipiens, promittit illis beneficia ecclesiastica et plenam gratiam papae et ecclesiae, quando inter patrem suum et papam tractatum pacis fieri contigerit.

Conr(adus) diuj augustj Imperatoris Fr(iderici) filius, dej gratia Romanorum in Regem Electus, Semper augustus et Heres Regni Jerusalem. Per presens scriptum notum facimus uniuersis Imperii fidelibus presentes literas inspecturis. quod nos Sacerdotes et clericos omnes, qui pro reuerentia Imperatorie maiestatis, nostra et Imperii assistere uolunt fideliter et deuote in celebratione diuinorum officiorum ciuibus et fidelibus nostris Ratisponensibus, recepimus sub protectionis et defensionis presidio nostro et Imperii speciali. promittentes eis suo loco et tempore tam in beneficiis ecclesiasticis quam in largitione munerum et Regie prouisionis iuxta meritum uniuscuiusque liberaliter prouidere. De ha-

bundantiori quoque gratia nostra volumus predictos sacerdotes et clericos, quandocunque in posterum tractatus pacis inter magnificum Cesarem dominum patrem nostrum, Nos et papam haberi contingerit (contigerit) eiusdem tractatus pacis participes esse. ut in honore dignitatis officiorum et beneficiorum cum plenitudine gratie papalis et ecclesiastice debeant reconciliarj. Ad cuius rei memoriam presentes litteras fieri fecimus sigillo nostro munitas. Datum Schafuse xxvij. Marcij quarte Indictionis.

a) Sigillum optime expressum, in utraque tamen ora, dextra ac sinistra, nonnihil laesum, appendet ex segmento membranaceo.

b) Annus Chr. non expressus ex indictione quarta facile agnoscitur.

c) Editum in Ried Cod. diplom. Ratisb. I. 409. num. 424. ex originali; memoratum etiam et extractum a Gemeiner Regensb. Chronik I. 353.

d) Desumtum ex archivo civitatis Ratisbon.

DCCLXXVII.

Anno 1246. 23. Maii. apud Hochheim.

Heinricus VIII., vulgo Raspo, rex, secunda die suae electionis, ex consensu trium principum ecclesiasticorum et apostolicae sedis legati, Hermanno Herbipolensi episcopo et ipsius successoribus confirmans omnia iura, iurisdictiones et bona, ad ecclesiam eius pertinentia, promittit, quod nullam faciet munitionem in praeiudicium ecclesiae, nec permittet fieri in posterum ab aliquo:

H.(einricus) dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. vniuersis Imperij fidelibus gratiam suam et omne bonum. Insinuatione

nuatione presentium ad uestram noticiam transmittimus, quod cum venerabilis princeps noster. Hermannus Herbipolensis Episcopus proponeret. quod ante tempus promotionis nostre ipse et antecessores sui per eos qui regebant imperium essent per multa tempora contra omnem iusticiam perturbati in juribus et in bonis pluribus Ecclesie herbipolensis, ac in munitionibus que facte fuerant in preiuditium ecclesie sue, nos, qui fideles imperij debemus et intendimus mente pura, fauorabiliter promouere, presenti littera protestamur. quod in omnibus juribus et jurisdictionibus ad ipsum spectantibus et in bonis super quibus impedimentum hactenus habuit. propter fidei sue deuotionem, ipsum et Ecclesiam suam nullo umquam tempore impediemus uel impediri ullatenus sustinebimus. immo si ipse aut successores sui nostram in aliquo defensionem requirerent, eos et Ecclesiam herbipolensem totis viribus defendemus. Nullam etiam munitionem faciemus in preiudicium ecclesie herbipolensis nec fieri permittemus ab aliquo, in locis in quibus ei et ecclesie sue hactenus fiebat preiudicium, seu in locis aliis que de nouo in jurisdictione sua possent forsitan inueniri. Vt itaque hec ipsi episcopo et suis successoribus conseruentur illesa, et perpetuum robur obtineant firmitatis. ex coniuentia dilectorum principum nostrorum. Sifridi Moguntini Archiepiscopi. Cuonradi Coloniensis archiepiscopi. et Heinrici Spirensis Electi. ac domini Philippi apostolice sedis legati. presentem paginam super eo conscriptam typario nostre maiestatis iussimus insigniri. Testes. Heinricus et Guntherus de Swarzburch fratres. Ernestus de Glichen. Emecho de liningen. Heinricus et Hermannus fratres de Hennenberch. Bertholdus de zigenhagen. Comites. Burchardus marscalchus de Quernfurthe. Hermannus de lobdeburch Godefridus et Gerardus de Eppenstein. Burchardus de Nuwenburch. Manegoldus de Wilperch. Manegoldus et Marchwardus filij sui. Albertus de Trinthperch. Albertus de Sterenberch et alij quam plures. Actum in castris aput (apud) hocheim. Anno domini. M°. cc°. xl° Sexto. x. Kalendas Junij. Indictione. iiij^{a}. Electionis nostre die Secunda. Datum per manus Burchardi de Zigenhagen. prepositi fritslariensis. vice

archicancellarii domini Sifridi archiepiscopi Moguntini archicancellarii per Germaniam.

[illegible]

DCCLXXVIII.

[illegible]

polder a. 1521. conscripti haec notat: privilegium donationis ecclesiae in Phetine, alias Landsperg.

DCCLXXIX.

Anno 1246. 15. Decembr. in Castris apud Forcheim.

Heinricus VIII., vulgo Raspo, rex, Heinrico, Babinbergensi episcopo, bona ecclesiae in Muchil et in Schidingen restituit, promittens, quod nunquam ipsum de caetero in eisdem molestabit, sed potius pro posse tuebitur, ita tamen, ut etiam regi de bonis secundum justitiam satisfiat, super quibus episcopum et ecclesiam impetit.

Henricus dei gratia Romanorum Rex, Semper Augustus. vniuersis presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Scripti presentis indicio fidelitati uestre duximus intimandum, quod nos considerata fidelitate et gratis seruiciis que dilectus princeps noster, Henricus, Babinbergensis Episcopus venerabilis, Imperio deuotus exhibuit, et inantea nobis poterit exibere, bona ecclesie sue In Muchil, et in Schidingen, eidem restituimus cum omni vtilitate, vsu et honore, quo memorata ecclesia eadem bona tenuit ab antiquo. nec ipsum uel ecclesiam suam grauabimus uel molestabimus de cetero in eisdem, Immo pocius ipsum tanquam honorabile menbrum (membrum) imperii in suo iure tuebimur et manutenebimus iuxta posse. ita tamen vt nobis de bonis super quibus ipsum et suam inpetimus (impetimus) ecclesiam secundum iusticiam satisfiat. Ad cuius rei euidenciam pleniorem presens scriptum, sigillo nostre maiestatis iussimus communiri. Datum In castris apud Forcheim. anno domini M°.CC°.XLVI°. Quintodecimo die intrantis Decembris. Indictione Quinta.

a) Sigilli fracti unicum superest fragmentum, maximam imaginis partem, cum ultima dimidia inscriptione, exhibens, quod appendet ex segmento membranaceo.

b) Indictio, dicta caesarea, convenit cum anno Ch. indicato.

c) Ineditum.

DCCLXXX.

Anno 1247. 2. Januar. Apud Nurenberg in castris.

Heinricus VIII., vulgo Raspo, rex, propter merita Hermanni episcopi Herbipolensis, relaxat pensionem viginti quinque modiorum tritici, quam homines in Bernheim de bonis ecclesiae Herbipolensis, causa tuitionis regiae, singulis annis sculteti regiis persolvebant, prohibens, ne quis nomine regiae curiae pensionem ipsam ab hominibus dictae villae de caetero exigat.

Heinr(icus) dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Nouerint vniuersi huius pagine Inspectores, quod nos venerabilis Episcopi herbipolensis dilecti principis nostri, obsequiorum, que idem summa cum fidelitate nobis exhibuit, et exhibere poterit, meritis et precibus jnclinati. pensionem vigintj quinque modiorum tritici, quam homines in Bernheim attinentes Ecclesie herbipolensi, de bonis eorum in Bernheim que similiter attinere noscuntur Ecclesie herbipolensi, causa tuitionis Regie curie quondam dare promiserant, et Annis singulis, Scultetis nostris persoluebant, de quo idem princeps asserebat se multis temporibus perturbatum. de maiestatis nostre beneuolencia relaxamus, presentibus jnhibentes, ne aliquis Regie curie nomine pensionem ipsam ab hominibus dicte ville de cetero exigat, aut requirat, In cuius relaxacionis et inhibicionis nostre testimonjvm presentem paginam

dedimus, sigillo excellencie nostre Regie communitam. datum aput (apud) Nurenberg jn castris Anno domini, M°. cc°. xlvjj iiij°. Nonas Januarij. Indictione v^ta^. Regni nostri Anno primo.

a) Sigillum, quod appendebat, periit; remansit sola pars superior filorum sericorum rubri et albi coloris, sed disruptorum, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio et annus regni conveniunt anno Chr. 1247, notato quidem, attamen duplici numero finali I. i. e. prolongata littera scripto, quod correcturam indicare videtur, cum in aliis huius regis diplomatibus, mensibus Januario ac Februario datis, annus 1246. more Romano sive Florentino scriptus legatur.

c) Ineditum.

DCCLXXXI.

Anno 1247 potius quam 1246. Mense Januario. Nuorenberc.

Heinricus VIII., vulgo Raspo, rex, Gothefrido de Sulzburg, fideli suo, propter devota servitia, alterum castrorum Adelenburg vel Heimberc, quod prius regiae paruit ditioni, pro castrensi feudo, nec non XL. marcas in officio Berengawe titulo feudi annuatim concedit, quas ipsi Fridericus iunior, Burcgravius de Nurenberg, assignabit.

Heinricus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Vniuersis Imperij fidelibus tam presentibus quam futuris, quibus presentes, littere exhibite fuerint, gratiam suam et omne bonum. Recognoscimus et tenore presentium protestamur, quod nos pensata fidelitate et deuotis seruitiis que Gothefridus de Sulzburg fidelis noster nobis et imperio exhibuit et inantea poterit exhi-

bere, Alterum Castrorum Adelenburg vel Heimberc quod prius nostre paruerit ditionj, Castrensi feodo duximus concedendum. Insuper concedentes eidem xl. Ma. (marcas) in officio Berengawe titulo feodj annuatim. quas ipsi fridericus iunior Burcgrauius de Nurenberg assignabit. Ad cuius rej robur et testimonium fecimus presentem paginam Sigilli nostri munimine roborarj. Datum Nuorenberc anno domini. M°. cc°. xlvj^{to}. Mense Januario. Indictione v^{ta}.

a) Sigilli fracti et vix non penitus destructi, restant duo parva fragmenta, pectus dextrum ac sinistrum genu regis exhibentia, quae adhaerent segmento membranaceo.

b) Indictio currens anno Chr. 1247. convenit, cui respondet ipsa Heinrici Rasponis, mense Maio 1246. electi et iam 1247. 17. Februar defuncti, historia. Notarius ergo annum more Romano sive Florentino à 25. Martii computasse credendus est.

c) Editum in Köler histor. com. de Wolfstein codicillo dipl. 10. lit. c.; in Oetters I. Versuch. 299. in Lünig Reichsarch. spicileg. saec. II. Th. totius operis Tom. XXIII. 1555. in Falkenstein cod. dipl. antiq. Nordgav. 44. num. 35.

DCCLXXXII.

Anno 1247 potius quam 1246. 5. Februar. apud Chulingisheim.

Heinricus VIII., vulgo Raspo, rex, Hermanno, Herbipolensi episcopo, propter merita, iudeos Herbipolenses, qui hactenus ad imperium spectabant, pro duobus millibus et trecentis marcis ad vitam ipsius assignat, ita, ut nec a rege, nec ab aliquo eius successorum, vivente episcopo, possint redimi.

Henricus dei gracia Romanorum Rex, Semper Augustus. Omnibus presens scriptum inspecturis notum esse volumus ac publice protestamur, quod fidelitatem et grata seruicia dilecti principis nostri. Hermanni venerabilis Erbipolensis episcopi intuentes, iudeos Erbipolenses qui actinus (hactenus) ad imperium spectare libere noscebantur, sibi et eclesie sue pro duobus milibus (millibus) et trecentis Marcis argenti dandos duximus sub hac forma, quod quamdiu predictus episcopus vixerit ipsos iudeos libere ad usus suos possideat, ita quod nec a nobis nec aliquo nostrorum valeant redimi successorum. Post decessum vero predicti episcopi iudei a nobis uel nostris successoribus, pro duobus milibus et trecentis marcis redimi poterunt memorati. Et ut hec nostra concessio robur firmitatis optineat presens scriptum in testimonium et euidenciam ampliorem, sigilli nostri munimime fecimus roborari. Acta sunt hec apud chulingishem (Zulingisheim) in castris anno domini. M°. cc°. xlvi°. Nonis februarij. Indictionis Quinte.

a) Sigilli, sed fracti, pars inferior appendet ex segmento membranaceo, imaginem regis à pectore usque ad pedes eius cum quibusdam inscriptionis litteris exhibens.

b) Indictio respondet anno Ch. 1247., cui convenit historia huius re-

gis, Heinrici nimirum Rasponis, qui 22. Maii 1246 electus iam 17. Febr. 1247. vivere desiit. Notarius itaque annum Chr. in hoc instrumento more Romano sive Florentino à 25. Martii computasse censendus est.

c) Locus negotii peracti in instrumento altero desuper eodem die dato vocatur Zulingisheim.

d) Ineditum.

DCCLXXXIII.

Anno 1247, potius quam 1246. 5. Februar. apud Zulingishem.

Henricus VIII., vulgo Raspo, rex, Hermannum episcopum Herbipolensem et successores eius securos facit, quod proventus ex iudeis Herbipolensibus, quamdiu pro duobus millibus et trecentis marcis non fuerint redempti, nec in sortem computentur, nec species usurae dici possint.

Henricus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Presenti tenore publice protestamur ac notum esse volumus vniuersis, quod quicquid dilectus Princeps noster Hermannus venerabilis Erbipolensis Episcopus aut sui successores de iudeis Erbipolensibus medio tempore quo a nobis uel nostris successoribus pro duobus millibus et trecentis Marcis redempti non fuerint, sibi et eclesie sue, ne in sortem quando redimitur conputetur, aut ne species vsure a peruersoribus dici ualeat, sibi suisque successoribus liberaliter dandum duximus et benigne. In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Acta sunt hec apud Zulingishem in castris. Anno domini M°.CC°XLVI°. Non. Febr. Indictionis Quinte.

a)

a) Sigilli fracti parvum fragmentum ex fragmento membranaceo appendet, caput solum et pectus regis exhibens.

b) Indictio notata respondet anno Ch. 1247, cui convenit ipsa regis Heinrici Rasponis historia, qui mense Maio 1246. electus iam 17. Febr. 1247. vivere desiit. Notarius ergo in hoc instrumento annum Chr. more Romano sive Florentino à 25. Martii computasse credendus est.

c) Ineditum.

DCCLXXXIV.

Anno 1248. Mense Junio. in castris in depopulatione Parmensi.

Fridericus II. imperator Ottoni comiti Falatino Reni, duci Bawariae et haeredibus eius masculis, pro fidelitate hactenus exhibita, in odium perfidiae Ottonis ducis Meraniae, proditoris sui, adhaerendo rebellibus imperii, comitatus de Nuemburch et Scherdingen in feudum confert.

Fridericus dei gratia Romanorum Imperator Semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Tunc Imperialis Excellencie firmissimo robore firmatur Imperium, tunc decus extollitur Cesaree Maiestatis, cum Infidelibus pro perfidia penam digne retribuit, et pro fide fidelibus premia liberaliter elargitur. Amorque uirtutis tunc crescit in bonis, et pene fragor in malis acuitur, cum Iniustorum diuitijs, ditantur et induuntur innocentes quodammodo spolijs dampnatorum. Hac igitur consideratione permoniti, qui Romani frena Imperij moderamur, attendentes quoque puram fidem et deuotionem sinceram quam Otto Comes. palatinus Reni et Dux Bawarie dilectus Princeps noster ad Excellentiam nostram gerit, nec-

non et grata ualde ac fidelia seruitia, que Culminj nostro incessanter exhibet, et exhibere poterit inantea gratiora, Considerantes etiam manisfestam perfidiam quam Otto Dux Meranie proditor noster, adherendo rebellibus nostris, contra nos et Imperium proditorie conmisit, Comitatus de Nuemburch, et Scherdingen, quos idem Dux Meranie a nobis et Imperio tenuit, prefato Ottonj Comiti Palatino Reni, et Duci Bawarie, et heredibus suis masculis, cum omnibus Juribus et pertinentijs suis, de gratia nostra duximus in perpetuum conferendos. ut seruire proinde nobis et Imperio teneantur. Ad hujus autem concessionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens Scriptum fieri, et Maiestatis nostre Sigillo iussimus conmuniri.

Datum in Castris in depopulatione Parmensi, per manus Magistri Petri de vinea Imperialis aule prothonotarij, et Regni Sicilie Logothete. Anno dominice Incarnationis, Millesimo, Ducentesimo, Quadragesimo Octauo, Mense Junij, VIe. Indictionis.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, remanentibus filis sericis purpurei et flavi coloris.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Ineditum hucusque, saltem ex archetypo; nam versionem solummodo Germanicam exhibuit Aettenkhofer in der k. Gesch. d. H. v. Bayern 164. num.

d) Desumptum ex archivo domus regiae Bavar., illucque redditum.

DCCLXXXV.

Anno 125[illegible]. mense Martio, Augustae.

Conradus IV. monasterio in Bollingen (Pollingen) usum nemoris Aicholz prope Mormvl concedit.

a) Sigilli appensi, quod periit, sola remansit pars quaedam segmenti membranacei chartae inferius complicatae innexa.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Mon. Boic. X. 51. n. 15. ubi sequentia emendentur; linea 24. sive 6. ab infra leg. Aicholz, Mormvl.

DCCLXXXVI.

Anno 1250. Mense Majo. Fogiae.

Fridericus II. imperator, ad supplicationem Ludowici, primogeniti ducis Ottonis Bawariae, sententiam fert, ut ad observationem fideiussionum, cautionum ac securitatum, civibus Wormatiensibus, metu personae suae, praestitarum, nullatenus teneatur.

Fridericus dej gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens Scriptum notum facimus vniuersis Imperij fidelibus, quod Ludowicus primogenitus Ducis Bawarie, dilecti Principis nostri Celsitudinj nostre supplicauit, attente, quod cum Ciues Wormatienses, in ipsa Ciuitate contra eum temere insurgentes, multas Sibi et familie sue preteromne meritum suum Iniurias infligerent, metuque persone sue cogeretur ipsis, fideiussiones, cautiones, ac securitates prestare! quod

suas in eos non ulcisceretur iniurias! ipsum a fideiussionibus, cautionibus, ac securitatibus predictis, quas non sponte set (sed) cohactus prestitit, prout Justitia exigeret absoluere dignaremur. Nos igitur supplicationibus suis que Justitiam continebant, nequeuntes ullatenus refragari, ipsum a fideiussionibus, cautionibus et securitatibus, quas predictis Ciuibus metu persone sue prestitit, sententialiter duximus absoluendum! ut ad obseruationem earum nullatenus amodo teneatur. Ad hujus igitur absolutionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens Scriptum fieri, et Maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum Fogie Anno dominice Incarnationis Millesimo! Ducentesimo! Quinquagesimo. Mense Madij. Octaue Indictionis.

a) Sigillum, in ora dextra, nec non in medio areae circa latus sinistrum imaginis, nonnihil laesum, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Ineditum.

d) Desumtum ex archivo domus regiae Bavaricae inde huc transmissum, illucque redditum.

DCCLXXXV.

Anno 1250. mense Martio, Augustae.

Conradus IV. monasterio in Bollingen (Pollingen) usum nemoris Aicholz prope Mozmvl concedit.

a) Sigilli appensi, quod periit, sola remansit pars quaedam segmenti membranacei chartae inferius complicatae innexa.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Mon. Boic. X. 51. n. 15. ubi sequentia emendentur; linea 24. sive 6. ab infra leg. Aicholz, Mozmvl.

DCCLXXXVI.

Anno 1250. Mense Majo. Fogiae.

Fridericus II. imperator, ad supplicationem Ludowici, primogeniti ducis Ottonis Bawariae, sententiam fert, ut ad observationem fideiussionum, cautionum ac securitatum, civibus Wormatiensibus, metu personae suae, praestitarum, nullatenus teneatur.

Fridericus dej gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Per presens Scriptum notum facimus vniuersis Imperij fidelibus, quod Ludowicus primogenitus Ducis Bawarie, dilecti Principis nostri Celsitudinj nostre supplicauit, attente, quod cum Ciues Wormatienses, in ipsa Ciuitate contra eum temere insurgentes, multas Sibi et familie sue preteromne meritum suum Iniurias infligerent, metuque persone sue cogeretur ipsis, fideiussiones, cautiones, ac securitates prestare! quod

tum fuit a principibus. quod nullo modo huiusmodi alienationes nec Ecclesie nec Electo dampnum aut preiudicium generarent. Item adiudicatum ei fuit per sententiam Principum et Magnatum. quod possessiones Ecclesie sue preter iuris ordinem et uiolenter distractas posset et deberet licite reuocare. Ad harum itaque sententiarum memoriam euidentem ac robur inposterum ualiturum presentes litteras conscribi et Sigillo nostro iussimus communiri. Actum in Castris apud Bopardiam. Anno domini M° CC° quinquagesimo. Kal. Julii Indictione VIII.

a) Pars quaedam sigilli fracti appendet ex segmento membranaceo, nonnisi utrumque genu regis sedentis exhibens.

b) Notae chronologicae inter se conveniunt.

c) Ineditum, extractum autem ab Aventino in excerptis Passav. apud Oefele I. 716. a.

d) Memorata in hoc diplomate confirmatio Bertholdi Pataviensis episcopi, facta per Petrum Albanensem episcopum, apostolica esedis legatum, data est Leodii XVI. Kal. Julii 1250, et extat authentica sive in originali.

DCCLXXXVIII.

Anno 1251. Mense Januario, ante 20. eiudem mensis. apud Ratisponam.

Conradus IV., in regem electus, nefandum consilium homicidii, per Albertum Ratisponensem episcopum et Conradum de Hohinuels, in diversorio apud monasterium Sancti Emmerammi in Ratispona, contra suam personam initum, misericorditer quidem remittit, exceptis Vlrico abbate et reliquis conspirationis participibus, et monasterium ipsum cum personis et bonis in specialem protectionem suam recipit, his tamen adjectis conditionibus: ut domus illa funditus destruatur; ut monachi teneantur novam suis sumtibus capellam in honorem beatae virginis Marie et beati Nicolai exstruere et dotare; ut omnes feudationes et donationes rerum monasterii; cuicunque occasione illa per regem factae, irritae sint; ut omnes proventus monasterii, tempore pacis turbatae durante, non nisi per rectorem specialem, de mandato et voluntate regis constitutum, administrentur.

Conradus diuj Augustj Imperatoris Fr(iderici) filius, dej gratia Romanorum in regem Electus, Semper Augustus et Heres Regni Jerusalem, Regale fastigium tociens leditur, quociens in defectu clementie repperitur, Et quanto benignius conpassionibus pietatis inmergitur, tanto gloriosius exaltatur. Clementer igitur lacrimis et deuotis supplicationibus quorumdam monachorum monasterij Sancti Emmerammj in Ratispona in cuius more progenitorum nostrorum Hospitatj hospicio, nefandum consilium et detestabile homicidium persone nostre, per Albertum qui se dicit Ratisponen-

[illegible] rit incursurum. Preter penam quam transgressori eiusdem mandatj nostri infligere uoluerit excellentia nostra, seu aliquis aliis heredum et successorum nostrorum. Ita tamen quod domus illa in qua ex prefato machinamento proposuerant irreuocabili proposito prefatj. Albertus dictus Episcopus, Conradus de Hohinvels et Viricus abbas eiusdem locj personam nostram mortis supplicio tradidisse, dirui debeat funditus, ac parietes ipsius domus fedatj et perfusi cruore dormientium tunc temporis coram nobis pro custodia persone nostre, qui pro salutis nostre defensione sanguinem suum fundentes, mortem spontaneam subierunt amplius in eodem loco nuleant repperirj. Teneantur insuper monachi eiusdem monasterij ex pacto firme promissionis habite coram nobis presentibus Ottone. Comite palatino Reni duce Bawarie dilecto principe et socero et Ludewico filio suo, dilecto leuiro nostro, *Ottone marchione* de Hohinburc dilecto consanguineo nostro, Hein*rico marchione de* Burgowe, Ludewico seniore comite de Otingen, *Gotfrido de* Hohinloch et aliis consiliariis nostris, necnon Ciuibus Ratisponensibus, quod in eodem loco ubi hactenus extiterat domus perdiconis (perditionis) nostre construere debent et erigere

erigere a nouo fundamine, ex propriis sumptibus ecclesie beatj Emmerammj capellam vnam ad honorem beate uirginis marie et beatj Nicolaj specialium tutorum et defensorum nostrorum in articulo eiusdem necessitatis nostre, quam amodo et in perpetuum regiam capellam uolumus appellarj. Dotandam per eos conpetentibus dotibus ex quarum prouentibus habere ualeat sufficientia et annua stipendia monachus sacerdos statutus ad hoc per Abbatem et conuentum eiusdem, qui eandem capellam gubernabit, diuinis et continuis officiis in perpetuam memoriam nominis nostri, et heredum nostrorum qui pro tempore fuerint ad regimen Imperij constitutj. Censemus etiam omnes infeodationes et donaciones rerum ipsius monasterij per scripta nostra persone alicuj occasione predicta indultas, irritas et inanes. Nec patj uolumus, quod de omnibus prouentibus et reditibus prefatj monasterij presente guerra durante, alicuj persone nisi specialj rectorj et prouisorj qui fuerit in eadem ecclesia de mandato et voluntate nostrj culminis constitutus, per monachos et fideles personas subiectas ipsi monasterio intendatur, ad usus et utilitatem ecclesie conuertendis. Et si aliquis monachus ipsius ecclesie seu aliqua alia persona tam ecclesiastica quam mundana contra predicta omnia publice in presentia nostra statuta, opponere se presumpserit participem prefatj facinoris in personam nostram excogitatj, ab omnibus fidelibus nostris uolumus eum haberj. Ad quorum omnium memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri, et sigillo nostre celsitudinis iussimus communirj. Datum apud Ratisponam, Anno Incarnacionis dominice Millesimo, ducentesimo Quinquagesimo primo, Mense Januarii, none Indict.

a) Sigillum, tam in imagine, quam in inscriptione circa illam, nonnihil laesum, appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Hund. metrop. I. edit. Mon. 219. et ed. Ratisb. 152. iterum II. edit. Mon. 264. Ratisb. 152. in Lünig spicileg. eccl. III. Theil totius operis tom. XVIII. 656. in libro Probat. S. Emmerami 176. num. 79. cum notis.

d) Atrox illud facinus, in hoc instrumento descriptum, praeparatae occisionis ipsius regis Conradi IV., contigit 28. Decembr. 1250, quindecim diebus post obitum patris eius, Friderici II. imper., cum nuntius huius obitus hac nondum advenisset. Desuper confr. Gemeiner Regensb. Chronik I. 359. seq. et Raumer Hohenstaufen IV. 321—323.

DCCLXXXIX.

Anno 1251. 20. Januar. apud Ratisponam.

Conradus IV., in regem electus, ob devota servitia civium Ratisponensium, qui ex pace turbata a proditoribus imperii undique impugnantur, talem ipsis gratiam, ius in se continentem, facit: ut omnes spirituales et saeculares, etiam iudei, camerae regalis servi, statuta civium super custodia et munitione civitatis observent.

Conr(adus) diuj Augustj Imperatoris Fr(iderici) filius dei gratia Romanorum in Regem Electus, Semper Augustus, et heres Regnj Jerusalem. Tenore presentium, notum esse uolumus. Vniuersis. quod nos adtendentes deuota seruicia ciuium Ratisponensium fidelium nostrorum, et qualiter ex pace turbata a proditoribus Imperii, undique impugnantur. iuxta suplicationem ipsorum, pro custodia et municione, necnon pro capitaneo ciuitatis Ratisponensis, talem ipsis gratiam, que in se ius continet, duximus faciendam. ut tam spirituales, quam seculares, cuiuscumque conditionis existant, et iudej, seruj camere nostre specialiter, statuta, que per eosdem ciues facta fuerint, super premissis cum eis, custodiant et obseruent. Maxime cum hij, qui similem cum alijs suscipiunt uitam, similem in legibus sentire debeant disciplinam. Datum apud Ratisponam. xx. Januarij. viiij. Indictione.

a) Sigilli fracti unicum fragmentum ex segmento membranaceo ap-

pendet, quod caput, sinistram manum ac sinistrum genu regis cum parte corporis eius, nec non dimidiam, incipientem nimirum, inscriptionem circa imaginem, ac finem inscriptionis alterius in area exhibet.

b) Annus non est expressus, satis autem per indictionem denotatus, cui omnino consentit historia regis Conradi IV., commorationem eius Ratisponae in fine anni 1250. ac initio anni 1251. exponens. cnfr. Gemeiner Regensb. Chronik I. 357 — 362.

c) Ineditum quidem, copiose tamen extractum, tam Germanice, quam latine, à Gemeiner in der Regensb. Chronik I. 361.

DCCXC.

Anno 1251. 20. Januario. Ratisponae.

Conradus IV., in regem electus, civibus Ratisponensibus ob devota servitia patri suo et sibi exhibita, et ad supplicationem eorum, gratiam facit: ut victualia, quae de rebus hostium regis, tempore pacis turbatae, ad ipsos fuerint deducta et ibi reposita sub sua et imperii protectione consistant.

Conr(adus) diuj Augustj Imperatoris Fr(iderici) filius, dej gratia Romanorum in Regem Electus, Semper Augustus, et Heres Regni Jerusalem. Per presens scriptum notum esse uolumus vniuersis. quod nos adtendentes pure deuocionis fidem, quam ciues Ratisponenses, fideles nostrj, circa Serenissimum Cesarem, dominum patrem nostrum, et nos habent iugiter et obseruant, sicut ipsorum opera comprobant manifeste, ad suplicationem ipsorum, ipsis hanc gratiam, duximus faciendam, ut presente querra durante, Victualia, qualiacumque sint, de rebus hostium nostrorum, que ad ciuitatem Ratisponensem deducta fuerint, et reposita aput (apud)

ipsos, sub nostra, et imperii protectione, salua consistant. Ita quod contra uoluntatem uniuersitatis ciuium predictorum, per nos, nec per aliquem officialem nostrum, in ipsis rebus deductis, uel repositis apud ipsos, eos grauarj uel turbari; aliquatenus paciemur. Datum Ratispone. xx. Januarij. viiij. Indictione.

a) Sigillum, in ora inferiori dextra laesum et fractum, de caetero bene expressum, appendet ex segmento membranaceo. Praedicta laesione ad summum 10 vel 11 litterae inscriptionis circa imaginem litterae perierunt.

b) Annus non est expressus, per indictionem tamen et historiam Conradi IV. regis satis determinatus.

c) Ineditum quidem, sed copiose extractum, tam germanice, quam latine, a Gemeiner St. Regensburgische Chronik I. 361.

DCCXCI.

Anno 1251. Mense Februario. Apud Augustam.

Conradus IV., in regem electus, Eberhardum praepositum et monasterium de Steingaden cum omnibus personis et bonis, sub speciali sua et imperii protectione recipiens, omnia privilegia, ipsi monasterio a duce quondam Welfone ac progenitoribus suis concessa, confirmat.

a) Sigilli fracti nonnisi aliquod superest fragmentum, quod caput regis, pectus et dextram eius, finem quoque inscriptionis circa imaginem, ac initium alterius inscriptionis in area, exhibet, omnia optime expressa, et appendet ex segmento membranaceo.

b) Indictio respondet anno Ch. indicato.

c) Editum in Hund. metrop. III. Edit. Monac. 364. edit. Ratisb. 251. et in Mon. Boic. VI. 527. num. 39.

DCCXCII.

Anno 1251. Mense Augusto. apud Niurimberc.

Conradus IV., in regem electus, ad preces fratrum hospitalis Sanctae Mariae domus Theutonicorum, ecclesiam in Ellingen cum omnibus eius pertinentiis, in gratiam suam specialem ita assumit, ut nullo alienationis titulo a regio dominio dimittatur.

Conr(adus) dei gratia Romanorum in Regem Electus, semper augustus, Jerusalem et Sicilie Rex. Dignum censemus et consonum equitati, ut quos fidei sue merita specialiter nobis iungunt, eosdem liberalis beneuolentia nostre celsitudinis specialius foueat et defendat. Hac siquidem ratione tenore presencium notum facimus uniuersis tam presentibus quam futuris. quod nos attendentes fidei merita. que fratres hospitalis sancte Marie domus theutunicorum nobis exhibuerunt multipliciter et inantea poterunt exhibere, licet uniuersalis domus eorum protectione nostra gaudeat speciali, tamen iuxta preces ipsorum fratrum ecclesiam in Ellingen cum omnibus suis pertinentiis sub fauoris et protectionis nostre gratiam specialius duximus assumendam, Ita, ut nullo alienationis titulo, siue uenditionis, infeodationis, obligationis, uel alio quocunque casu ipsam ecclesiam a nostri dominii manibus dimittamus. Quocirca auctoritate regia firmiter inhibemus quatinus nullus sit, qui fratres predicte domus de Ellingen contra gratiam huiusmodi a nostra celsitudine ipsis factam in bonis uel possessionibus suis presumat temere molestare. Quod qui presumpserit, indignationem nostram se sciat grauiter incurrisse. Ad cuius rei memoriam presens scriptum inde fieri et sigillo nostro iussimus communiri. Datum apud Niurimberc anno dominice incarnationis Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo primo. Mense Augusti. None Indictionis.

a) Sigillum illaesum appendet ex segmento membranaceo.

b) Indictio convenit cum anno Chr. indicato.

c) Editum in Deductione Theutonicorum, cui titulus: Brandeb. Usurpationsgesch. Anhang 226. num. 106.

DCCXCIII.

Anno 1251. Mensi Octobri. Apud Munchen.

Conradus IV., in regem electus Friderico, Burgravio de Nurinberc, eiusque uxori Elisabeth nepti suae eorumque pueris procreatis aut procreandis, castrum Crusen cum omnibus eius pertinentiis, in rectum feodum concedit.

Conr(adus) dei gratia Romanorum in Regem Electus, Semper Augustus. Jerusalem et Sicilie rex. Tenore presentium notum esse uolumus vniuersis, quod nos Supplicationibus Fr. Burgrauii de Nvrinberc eiusque vxoris Karissime neptis nostre fauorabiliter Inclinati, tam ipsis quam suis pueris procreatis ab eis vel amodo procreandis, castrvm nostrum Crusen cum omnibus suis pertinentiis in rectum feodum duximus concedendum. Ad cuius rei memoriam presens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum.

Datum apud Munchen Anno dominice Incarnacionis Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo primo. Mense Octobr. Decime Indictionis.

a) Sigillum appensum periit; fila tamen serica rubri coloris remanserunt, membranae inferius complicatae innexa.

b) Indictio, quae caesarea dicitur, convenit cum anno Ch. indicato 1251.

c) Editum in Schütz corp. histor. Brandeb. IV. Abh. oder Cod. diplom. 80. num. 43.; in Oetters I. Versuch 351. eiusd. II. Versuch 284.; in (Wölkern) histor. dipl. Norimb. II. 125. num. 19.; in Köler diss. genealog. de ducibus Meraniae p. 45, in Will histor. Crusiae urbis p. 8.

DCCXCIV.

Anno 1251. Mense Octobri. Monaci.

Conradus IV., in regem electus, Ottoni comiti Palatino Rheni, duci Bawariae, socero suo, castra Vlozz et Parkstayn, cum omnibus attinentiis, pro tribus millibus marcarum argenti et quadringentis libris Ratisponensis monetae, ita obligavit, ut, quicquid in conservatione castrorum eorundem accreverit, etiam accumuletur obligationi.

Conradus Dej Gratia Romanorum In Regem Electus. semper Augustus. Jherusalem et Sycilie Rex. Per presens scriptum notum facimus vniuersis Imperij fidelibus, tam presentibus, quam futuris. quod nos Dilecto Principi et Socero nostro. Ottonj Comiti Palatino Rhenj Ducj Bawarie. kastra vlozz. et Parkstayn cum omnibus attinentiis, obligauimus Pro tribus Milibus (millibus) Marcarum Argenti. et Quadringentis libris Ratisponensis Monete. Item quicquid accreuerit in conseruatione kastrorum eorundem. etiam accumulabitur eidem obligationj. In cuius Rei conservacionem Presentem cedulam iussimus conscribi et Sigillo nostre celsitudinis communirj. Datum Monacj Anno dominj M°. cc°. Quinquagesimo Primo. Mense Octobris. Decime Indictionis.

a) Sigillum, in ora inferiori fractum et laesum, appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno Chr. indicato 1251.

c) Editum in Aettenkhover K. Gesch. der Herz. v. B. 176. num. 12. ast non ex originali, sed insertum Diplomati confirmatorio 1266. 24. Octob.

d) Desumtum ex Archivo domus regiae Bavaricae.

DCCXCV.

Anno 1253. 22. Januarii. Brunswic.

Wilhelmus, rex, concessionem, qua Conradus, filius quondam Friderici imperatoris, jura episcopalia Ratisponensis ecclesiae et civitatis alienare disposuit, per sententiam irritam declarat, mandans, ne quis episcopum Ratisponensem et eius ecclesiam in juribus ipsius molestet.

Will(elmus) dei gratia Romanorum Rex. Semper augustus. Omnibus ad quos peruenerit presens. gratiam suam et omne bonum. Siqua Jura episcopalia Ratisponensis ecclesie siue in Ciuitate ipsa uel extra, Conradus Natus domini Fr(iderici) quondam Imperatoris per aliquam concessionem alienari disposuit, hanc per sententiam decernimus irritam et inanem. Sub obtentu Imperialis gratie districte mandantes, ne quis Episcopum Ratisponensem et ecclesiam suam in iuribus suis impediat aliquatinus seu molestet. Datum Brunswic xi. kal. Februarii. vndecima Indictione.

a) Sigilli fracti pars inferior, exhibens imaginem regis à pectore usque ad pedes, cum dimidia fere inscriptione, ad latus dextrum, quod

quod est scribenti sinistrum, appendet ex segmento membranaceo, ab ipsa chartae ora extrema usque ad locum appensionis resecto.

b) Annum non expressum indictio demonstrat.

c) Editum in Ried Cod. dipl. Ratisb. I. 433. num. 456.

DCCXCVI.

Anno 1255. 10. Martio. apud Hagenouwe.

Wilhelmus, rex, pacem generâlem, ad deponenda inconsueta et iniusta thelonea super Renum, a principibus et solemnibus nuntiis civitatum infra Basileam, in sua praesentia nuper apud Wormatiam conjuratam: ut quilibet princeps vel alius cuiuscunque conditionis contentus maneat iure proprio; auctoritate regali approbat et statuit: ut cives et alii, qui pacis foedere astricti sunt, deposita primo querela coram se vel iustitiario suo, assensu suo et favore contra violatorem temerarium procedant.

Wil(helmu)s dei gratia Romanorum rex semper Augustus Vniversis Sacri imperij fidelibus presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cum disponente diuina gratia simus ad apicem Regie dignitatis assumpti et temporalis gladij acceperimus deo nobis propicio potestatem illius aciem sic extendere uolumus et debemus. quod cunctorum iura per nostram sollicitudinem illibata seruentur cohercentes malos seueritate debita et condigna bonos autem contra insultationes malorum in sua iusticia confouentes. Sane cum ad deponenda inconsueta et iniusta thelonia super renum diuina suffragante clemencia generaliter pax pie concepta fuerit et postmodum a quibusdam ex nostris prin-

cipibus et vniuersis comitibus et nobilibus et sollempnibus nuntijs. omnium ciuitatum de basilea inferius. in nostra presencia nuper apud wormaciam coniurata ita uidelicet ut quilibet siue princeps uel comes aut nobilis seu ciuis burgensis Opidanus uel agricola siue villanus uel cuiuscunque conditionis existat contentus decetero maneat iure suo. nos ut christianus populus a diutinis bellorum et turbationum laboribus temporibus nostris in amenitate pacis respiret. omnem opem et operam apponentes predictam generalem pacem utpote salubrem et piam. auctoritate Regalis culminis approbamus et presentibus duraturam in posterum confirmamus. Sacro presenti edicto sub interminatione gratie nostre districtius inhibentes. nequis predictam pacem ausu temerario infringere audeat uel in aliquo violare. Siquis uero inuentus fuerit temerarius uiolator uolumus et presenti scripto sanccimus ut deposita primo coram nobis uel justiciario nostro querela de ipso tunc ciues et alij qui pacis federe sunt astricti. de nostro uel nostri Justiciarij consilio assensu pariter et fauore. contra violatorem huiusmodi procedere non omittant. Datum apud hagenouwe. vi. jd. marcij jndictione xiij. anno dominj M° cc° L° Quinto.

a) Sigillum, fractum in ora sinistra, laesum in dextra, appendet ex segmento membranaceo, totam adhuc regis imaginem cum parte inscriptionis exprimens, incipientis, mediae ac desinentis.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Meermanni opere: Geschiedeniss van Graaf Willem van Holland V. 167, et ex eo laudatum in Raumer Gesch. der Hohenst, II. 593.

d) Desumtum ex archivo domus regiae Bavar.

DCCXCVII.

Anno 1255. 12. Martio. Spirae.

Wilhelmus rex, Godefrido domino de Solzeburg, villam Beregowe cum eius attinentiis, olim ab Henrico rege eidem concessam titulo feudi, confirmat.

Wilh(elmus) dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. vniuersis Imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cupientes dilectum fidelem nostrum Godefridum dominum de Solzeburg speciali prosequi gratia et fauore. sibi villam de Beregowe cum suis attinentiis, quam bone memorie H(enricus) Romanorum Rex eidem concesserat, titulo feudi duximus liberaliter concedendam. Tenore presentium vniuersis et singulis districtius inhibentes. ne quis. ipsum super villa predicta impedire audeat uel etiam molestare. Quod qui fecerit grauem indignationem Celsitudinis nostre se nouerit incursurum. Huius rei Testes sunt hii. venerabilis H. Spirensis Electus dilectus Princeps et Cancellarius noster. A. Comes de Waldeke. Wernerus de Bolandia Dapifer noster. Hugo de Crailing. et alii quam plures. Datum Spire IIII. Id. Martii. Indictione XIII. Anno domini M°.CC°.L°. Quinto.

a) Sigilli fracti aliquod fragmentum appendet ex segmento membranaceo, potissimam corporis partem, a capite usque ad genua regis, excepta laeva manu eius, exhibens.

b) Indictio convenit cum anno Ch. indicato.

c) Editum in Lünig Reichsarchiv. spicileg. saecular. II. Theil. totius operis Tom. XXIII. 1556. num. 2. ad hunc diem. In (Wölkern) historia Dipl. Norimb. II. 127. num. 20.; in Köler historia geneal. Comitum de Wolfstein. Codicill. Dipl. 11. lit. D, in Fal-

kenstein Cod. Antiq Nordgav. 47. num. 39.; sed in his tribu
editionibus erronee ad diem 9. Martii.

d) Super memorata priori concessione villae Berengowe sive Bernga
confr. Diploma Heinrici Rasponis an. 1246. nobis 1247. mens
Januario.

DCCXCVIII.

Anno 1255. 15. Martii. Wormatiae.

Willhelmus rex Euelino civi Spirensi X. marcas a Ju daeis percipiendas, titulo feudali confert.

Willhelmus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Un
uersis Sacri Imperii fidelibus presentem paginam inspecturis. gra
tiam suam et omne bonum. Decet magnificentiam Regie maie
statis, subiectorum suorum deuotionem diligenter attendere. e
eorum seruitia dignis retributionibus compensare. Attendente
itaque sincere fidei puritatem et intime deuccionis affectum, quem
dilectus fidelis noster Euelinus ante monasterium Ciuis Spirensi
ad nostram Celsitudinem habet. ac uolentes ipsum speciali prose
qui gracia et fauore. sibi et suis heredibus legitimis, decem mar
cas feudi titulo perpetuo duximus concedendas. quas tam ips
quam sui heredes de festo beati martini proximo uenturo pos
duos annos nunc proximo subsequentes. annuatim recipient a Ju
deis Spirensibus Camere nostre seruis in predicto festo superiu
nominato ipsi eciam de predictis duobus annis proximo subsequen
tibus satisfactionem debitam receperunt. Unde uolumus et man
damus ut nullus predictum Euelinum et heredes ipsius contra han
nostram gratiam et infeudationem impedire presumat. Quod qu
[illegible] presumpserit grauem indignationem Celsitudinis nostre s
nouerit incursurum.

Datum Wormacie. Idibus martii Indictione XIII. Anno domini M°. cc°. L°. quinto.

a) Sigillum appendet illaesum.

b) Indictio respondet anno Chr. expresso.

c) Ineditum.

d) Copia descripta ex authographo in archivo civitatis Spirensis asservato.

DCCXCIX.

Anno 1255. 10. Novemb. apud Oppinheim.

Wilhelmus rex pacem instauratam et iuratam confirmat, simulque statuta, inter nobiles ac civitates idcirco servando, promulgat.

Wilhelmus dei gratia Romanorum Rex Semper Augustus. Vniuersis presentes litteras inspecturis, dilectis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Gratias agimus domino deo nostro gratiarum omnium largitori, pro eo quod clamoribus pauperum bellorum et gwerrarum temporibus ex aflliccione continua per peruersorum tirannidem miserabiliter obpressorum, auditis paterne et misericorditer exauditis, tranquillitatem et pacem que iam dudum exilium passa est, largiflua sue pietatis gratia per ministerium et labores humilium maxime hiis diebus, quibus Romani Regni gubernacula feliciter obtinemus, miraculose et potenter induxit et contulit toti mundo, ad laudem et gloriam sui nominis ac salutem et comodum (commodum) tocius populi Christianj. Nos igitur in nomine domini nostri ihesu Christi pacem instauratam salubriter et consulte iuratam totis affectibus et puro corde

zelantes, Auctoritate maiestatis regie confirmamus, Volentes et desiderabiliter affectantes, ut clerici, seculares, monachi, moniales, et omnes religiosi cuiuscumque ordinis, laici etiam et Judei, huius pacis et tranquillitatis comodo (commodo) gaudeant perpetuo et fruantur. vt autem inter nobiles terre et ciuitates non possit discordie scrupulus suboriri, per quem hoc sanctum pacis negocium impediri ualeat uel turbari. de consensu concordi et vnanimi uoluntate nobilium et etiam ciuitatum, ex matura deliberatione nostri consilii sic decreuimus statuendum, vt nobiles et domini terre iudiciis suis iuste utantur, ac iura sua per omnia obtineant sicut debent. Ab illis etiam hominibus qui in eorum iurisdictionibus commorantur, ea seruicia et iura recipiant et requirant, que ipsi et progenitores eorum ante Tringinta uel Quadraginta seu Quinquaginta annos iuste facere consueuerunt, et illis etiam ipsi domini sint contenti. Omnes etiam ecclesie, Ciuitates et oppida et earum quelibet iuxta specialia iura sua gaudeant perpetuo et fruantur, pacifice et quiete illis libertatibus honoribus et iuribus generalibus et specialibus que obtinuerunt hactenus ex antiquo. Si autem nobiles et domini predicti per ciuitates sibi illatas iniurias conquerantur. ipsi propter hoc nullum captiuabunt ex eis, nec eorum pignora capient, nec etiam motu proprio contra ipsos procedent, aliquatenus ad uindictam. Sed coram nobis uel, A. (Adolpho) *Comite* de Waldecke nostro Justiario (Justitiario), Aut . . Sculteto Bopardiensi . . Sculteto Frankenuordensi . . Oppenheimensi . . Hagenowensi . . uel Columbariensi Sculteto, suas iniurias recto iudicio et per iustam sententiam prosequentur. Ciuitates etiam et Oppida iniurias suas si que ipsis illate fuerint iusto iudicio sicut premissum est coram nobis uel aliis prosequentur. Ita quod quilibet nobilis et vnaqueque ciuitas et oppidum recursum habeat ad Judicem unum de predictis plus sibi uicinum pro suis iniuriis prosequendis. Si autem Ciuitates et oppida propter negligentiam iudicis non poterunt iudicium et iusticiam obtinere, ex tunc nobiles, et ciuitates propter obseruationem pacis iurate totis uiribus eorum collectis contra dictum iniuriatorem procedent hostiliter, nec ex eo pax censibitur (censebitur) uiolata. Si uero ciuitates uel oppida aliqua

nobiles uel quicumque alii pacem uiolauerint in aliquo predictorum, sub obtentu gratie nostre districtissime precipimus ab omnibus pacis federe coniuratis, procedi hostiliter contra illos, ut sic pax omnimodo reformetur, et in posterum inconcussa permaneat et illesa. Vt autem hec salubria et iusta nostra statuta rata et firma permaneant et ab omnibus inuiolabiliter obseruentur, has litteras Regie maiestatis sigillo duximus roborandas. Actum apud Oppinheim, Anno domini. M°. CC°. L°. In Vigilia beati Martinj Indictione xiiij[to].

a) Sigillum, in ora sinistra nonnihil laesum, appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris.

b) Indictio caesarea respondet anno Chr. notato.

c) Editum in Privilegiis Rhenanae nobilitatis f. 14. sq.; in Datt de pace publica P. I. 22.; in Du Mont Corps diplomat. I. I. 202. n. 393. in Lünig Reichsarch. parte special. contin. III. vel totius operis Tom. XII. Absatz IV. p. 24.

d) Desumtum ex Archivo Aschaffenburg.

DCCC.

Anno 1257. 25. Januario. apud Bacheracum.

Ritschardus Comes de Glohzitter et alius solemnis nuntius Ritshardi (Ricardi) in regem electi, in animam eiusdem regis iurant: quod in regem electus Chunrado puero, Jerusalem et Siciliae regi ac duci Sueviae, statim conferet ducatum Sueviae titulo feodali; nec eum gravabit omnibus aliis bonis, per successionem ab avo Friderico imperatore et patre Conrado quondam in regem electo, ad ipsum devolutis; immo omnia bona supradicta, vel mediante iure, vel amicabili compositione, a bonis imperii distinguet, et eundem puerum Conradum quietum et legitimum faciet possessorem.

Nos Ritschardus Comes de Glohziter et Johannes de Auennis Miles, filius primogenitus. M. Comitisse flandrie, existentes legitimi, sollempnes et auctentici nuncij, Illustris uiri domini Ritshardi Romanorum in Regem Electi, fratris Regis Anglie, pro negotijs suis, in partibus Alemannie disponendis, presenti scripto profitemur, et constare uolumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos tactis sacrosanctis Ewangelijs, iurauimus in animam predicti domini R. Romanorum in Regem Electi, quod quamcito idem dominus electus in Regem Romanorum coronatus fuerit, domino Chvnrado puero, Inclito Jerusalem et Sicilie Regi, ac Duci Sueuie, ipsum Ducatum Sueuie, cessante omni protractione, ac contradictione, cum omnibus honoribus, iuribus et pertinentijs suis, titulo conferat feodali. Includentes nichilominus iuramento nostro, prestito etiam in animam supradicti R. Romanorum in Regem Electi, quod ipse Electus, memoratum Chvnradum puerum, in omnibus alijs bonis suis, tam patrimonialibus, quam feodalibus, siue per successionem hereditariam, siue per emptionem,

nem, aut alio quocumque modo habitis, que ab auo suo domino friderico Romanorum quondam Imperatore, et a patre suo domino Chvnrado quondam Romanorum in Regem electo, ac etiam ab alijs progenitoribus suis ad ipsum deuoluta sunt, siue consistant in hominibus nobilibus, fassallis et seruis. aut etiam in dominijs terrarum, Ciuitatum, castrorum, Opidorum, uillarum, et aliorum quorumcumque bonorum, ubicumque sint sita, grauet nullatenus ac perturbet. Immo supradicta omnia bona, iure mediante uel amicabili compositione interueniente, sepedictus R. Romanorum in Regem Electus, nominatim a bonis imperij distinguere tenetur, et sepefatum Chvnradum puerum eorundem facere, quietum et legitimum possessorem. Ad robur etiam predictorum in posterum ualiturum, prelibatus R. Romanorum in Regem Electus, suprascripta omnia, priuilegijs suis, cum apositione regalis sigilli sui confirmabit, sine dolo et fraude inuiolabiliter obseruanda. In cuius rei testimonium et stabilem firmitatem presentem litteram, cum annotacione Testium scribi fecimus sigillorum nostrorum munimine roboratam. Testes sunt hij, dominus Gerhardus Sancte Mogvntine sedis archiepiscopus sacri Imperij per Germaniam Archicancellarius. prepositus Coloniensis. Chvnradus filius Wildegrauij, prepositus Isinensis, Thesaurarius Ecclesie Mogvntine, Vlricus Comes de Wirtenberch, Chvnradus Wildegrauius, Emcho filius eius, Ditricus de Valkenbvrch, Albertus de Lihtenberch. Albertus de Prvkkeberch, Hademarus de Laber. Philippus de Valkenstaein. Philippus de Hohenvels, Wernherus de Bonlandia. Pertoldus Marscalcus de Schilperch, Hermannus de Haegenberch, Haeinricus de Gemnik, Wernherus Dapifer de Alzaeia, Chvnradus de Schonnekke, Haienricus de Eisoldsride, et Alij quam plures. Acta sunt hec aput (apud) Bacheracum, Anno domini M. CC. Quinquagesimo Septimo, In die conuersionis beati Pavli quintedecime Indictionis.

a) Ex sigillis duobus appensis primum (Richardi comitis) periit cum ipsis filis, alterius fracti fragmentum appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris, exprimens in latere anteriori maiorem par-

tem equitis dextra gladium tenentis cum initio inscriptionis. †. S. Johannis, a tergo partem alterius sigilli cum scuto triangulari.

b) Indictio respondet anno indicato.

c) Editum a Bar. de Hormayr in d. Wiener Jahrb. Bd. XLIV. Anzeigebl. 15. n. 31.

d) Nomen proprium praepositi Coloniensis non est expressum, relicto illi spatio vacuo.

e) Desumtum ex archivo domus regiae Bavaricae.

DCCCI.

Anno 1259. 19. Septembri. Monaci.

Elyzabeth, Jerusalem et Syciliae regina, ducissa Sueviae, sanctimonialibus in Altenhohinow, in subsidium praebendae earum, ius patronatus ecclesiae in Meringen cum pertinentiis eius, post decessum praesentis pastoris ipsius ecclesiae, ita donat, ut praedictae sorores super praesentatione et pro investitura ad praelatos tantum recurrant.

a) Sigillum valde laesum appendet ex filis sericis flavi, rubri ac purpurei coloris. Praedicta laesione imaginis, scilicet reginae, caput, et pene tota inscriptio circa imaginem evanuit, inscriptionis autem alterius in area extremum vocabulum: Sweriae distincte adhuc legitur.

b) Praeter annum Chr. nulla expressa est nota chronologica.

c) Editum in Mon. Boic. XVII. 17. num. 17.

DCCCII.

Anno 1261. 7. Januario. Apud Walingford.

Ricardus rex, Ludowico comiti Palatino Reni, duci Bawariae, feuda, quae quondam Albertus comes de Dylon ab imperio tenuit, usque ad felicem reditum suum ad partes regni Theutonicae, committit et singulis mandat, ut ei loco sui tanquam domino feudi obediant.

RIcardus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus Illustri Ludowico Comiti Palatino Reni Duci Bauarie karissimo principi et consanguineo suo. gratiam suam et omne bonum. Gerentes de tue fidei puritate fiduciam pleniorem tibi omnia feoda que quondam Nobilis vir Albertus Comes de Dylon ab Imperio iusto titulo tenuit et possedit et que per mortem eiusdem ad manum nostram sunt ratione Imperij legitime deuoluta usque ad felicem reditum nostrum ad partes Regni Theutonie duximus commitenda. (committenda) volentes ut medio tempore nomine nostro eisdem feodis libere gaudeas et fruaris. vnde uniuersis et singulis ad feoda dicta spectantibus auctoritate presencium damus districtius in mandatis quatinus tibi loco nostri tamquam domino feodi usque ad tempus predictum in hijs in quibus tenentur, obediant et intendant. ad plenum tibi de eorumdem feodorum redditibus et prouentibus respondentes. In quorum omnium testimonium et euidenciam pleniorem hanc litteram nostram tibi transmittimus sigillo nostro Regio communitam. Datum apud Walingford septimo die Januarij. Indictione quarta. Regni nostri anno Quarto.

a) Sigillum cerae rubrae impressum, sed fractum et in omni ora laesum, appendet ex segmento membranaceo. Fragmentum tamen, quod restat, totam fere regis in throno sedentis imaginem, bene

expressam, solo dempto capite, exhibet, cum una tantum inscriptionis mediae littera: M.

b) Indictio et annus regni currentes respondent anno Chr. non expresso.

c) Editum a Bar. de Hormayr in d. Jahrb. Bd. XLIV. Anzeigebl. 16. n. 33.

d) Desumtum ex archivo domus regiae Bavaricae.

DCCCIII.

Anno 1263. 14. April. Apud Steingadem.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex. ac dux Sueviae, Bertholdum praepositum et monasterium de Steingaden, cum omnibus personis et bonis, sub speciali sua et imperii protectione recipiens, omnia privilegia, ipsi monasterio a duce quondam Welphone ac progenitoribus suis concessa, confirmat.

a) Sigillum, in omni fere ora laesum, appendet ex filis sericis purpurei coloris. Laesione praedicta pleraeque inscriptionis circa imaginem litterae evanuerunt, cum prima littera inscriptionis in area.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Mon. Boic. VI. 531. num. 44.

d) Per omnia, vix non de verbo ad verbum, convenit cum priori confirmatione Conradi IV., patris scilicet huius regis, indulta mense Febr. 1251.

DCCCIV.

Anno 1263. 16. Aprili. in claustro Wilutin.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex, Sueviae dux, Lodewico comiti Palatino Rheni, duci Bawariae, avunculo suo et educatori, omnes proprietates suas in quibuscunque terris sitas, a quibuscunque progenitoribus, jure haereditario, ad se devolutas, si absque haeredibus decedere contigerit, pleno iure proprietatis donat, ea conditione, ut consorti suae, siquam duxerit, et in remissionem peccatorum suorum, quod sibi placuerit, dare possit; demum promittit omnia feuda eidem avunculo suo a dominis feudorum procurare.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Chvonradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex Sweuie Dux. Vt sinceris beniuolentie fauoribus quibus nos Karissimus Auunculus noster Lodewicus Inclitus Comes Palatinus Rheni. Dux Bawarie. paternis affectibus tamquam filium vnicum educauit respondeamus liberaliter, eosdem remuneratione debita et merita transcendentes, Tenore presentium vniuersis Christi fidelibus presentibus et futuris. notum fieri volumus. quod nos eidem Auunculo nostro Lod(ewico) omnes proprietates nostras in quibuscumque terris sitas. ad nos generaliter et specialiter a quibuscumque nostris progenitoribus ex iure hereditario et proprietario deuolutas, cum omnibus hominibus maioribus et minoribus, Juribus, Honoribus, Dignitatibus, Dominiis terrarum, Ciuitatum, Castrorum, Opidorum, quorumlibet et villarum, nec non aliis bonis et rebus, cultis et incultis, quesitis et inquirendis, Agris, Pratis, Pascuis, Siluis, viis et inviis, Aquarum decursibus et generaliter omnibus pertinentiis, in quibus tam nobis quam progenitoribus nostris, Jus in

eisdem proprietatibus competebat, siquod absit, sine heredibus nos decedere contingerit (contigerit), donauimus pleno iure proprietatis perpetuo possidendas. Hoc incluso quod de eisdem proprietatibus tam Consorti nostre siqua nobis processu temporis ex dei arbitrio fuerit sociata, quam etiam in remissionem nostrorum peccaminum nobis dare liceat celitus inspirati (inspiratis), quod nobis uidebitur expedire. Demum promisimus pura fide et nos per scripta presentia obligamus, ut omnia feoda nostra eidem Auunculo nostro conferri disponamus, et etiam fideliter procuremus, adhibita una cum Auunculo nostro sollicitudine et diligentia diligenti, a dominis de quibus eadem feoda dinoscimur possidere. Ad cuius rei memoriam et robur predicte nostre donationis perpetuo valiturum presens Priuilegium fieri et Regii nostri karacteris impressione cum subnotatis Testibus iussimus insigniri. Testes autem sunt. dominus Chvonradus venerabilis Abbas de Roth. Meinhardus Comes Goricie et Tyrolensis. Heinricus Comes de Eschiloh, et Heinricus filius suus. Berhtoldus Comes de Eschiloh. Meinhardus Comes de Rotineke. Heinricus de Sevelt. Pernhardus et Gebhardus de Wilheim. Hermannus iunior de Hvernheim. Volkmarus et Markwardus filius suus de Keminata. Hermannus de Haeginberch. Chvonradus de Swaugow. Wernherus de Tablat. Bartholomeus de Wale. Volricus de Fnivndisperch. Chvonradus et Fr(idericus) filii sui. Grimoldus et Heinricus de Prisingen. Gebhardus et fr(idericus) de Velwen. Perhtoldus Dapifer de Waltpurch. Heinricus de Lovbinberch. Hermannus dictus Wildman. Chvonradus de Swarzinburch. Chvonradus de Wildenrod. Rodbertus iunior de Lechisperch. Heinricus de Perneke. Chvonradus de Starchinberch. Harthmannus Tarandus. Chvondus de Paizwile. Perhtoldus de Ernsperch. Sifridus plebanus de Niwinburch. Chvonradus plebanus de Ebise. Albertus et Volricus Notarii et alii quam plures. Actum et datum in Claustro Wilntin. Anno domini M°. cc°. lx°. Tercio. Sexto decimo kalendas Maij Septima Indictione.

a) Sigillum, in ora sinistra fractum, in ora reliqua nonnihil laesum, appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris, exprimens totam

regis imaginem, cum parte inscriptionis, desinentis in orbe, incipientis in area.

b) Indictio erronee scripta loco sextae, quae tunc sola anno 1263, et itineri regis Conradini respondebat.

c) Editum in Aettenkhofer K. Gesch. d. H. v. B. 170., in Lory Lechrain 7. num. 9. et in Bar. Hormayr Beitr. zur Gesch. Tirols II. 105. num. 50. ex Aettenkhofer, ubique in pluribus incorrecte.

d) Desumtum ex archivo domus regiae Bavar. illucque redditum.

DCCCV.

Anno 1263. 17. April. apud claustrum Wilntin.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex, Sueviae dux, Lodwico comiti Palatino Rheni duci Bawariae, avunculo suo et educatori, omnem proprietatem, quam Fridericus imperator, avus suus, ab Vlrico, comite quondam de Vltimis emerat, sibique haereditario iure reliquerat, videlicet novum castrum in monte Sancti Petri in valle Oeni situm, omniaque alia bona, ex morte dicti comitis ad progenitores suos devoluta, infra nemus Schaernz et montem Vern, posita, pleno iure proprietatis donat.

Chvonradus secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex. Dux Svveuie. Vniuersis Christi fidelibus presentibus et futuris, hanc paginam intuentibus, Salutem in vero fidelium saluatore. Quia diuturnitas temporis obliuionem ingerit rebus gestis, ne facta hominum dubietate vel varietate aliqua infirmentur, accurata debet sollicitudine prouideri. Presentis igitur Priuilegii serie tam presens etas quam futura cognoscat. quod nos fidem puram et pie-

tatis affectus quibus nos karissimus Auunculus noster Lodwicus. Inclitus Comes Palatinus Rheni. Dux Bawarie. paterno more tamquam filium vnicum educauit, ante mentis nostre oculos iugiter preponentes eidem omnem proprietatem nostram quam diuus Augustus Fr(idericus) Imperator, Auus noster memorie recolende, aput (apud) virum nobilem Comitem Volricum quondam de vltimis, emisse dinoscitur, et nobis nunc iure hereditario competentem, videlicet Nouum Castrum in Monte sancti Petri, in Valle Eni, situm, et omnem aliam proprietatem et bona ad progenitores nostros ex morte dicti Comitis deuoluta, infra Nemus Schaernz. et Montem Vern. posita, donauimus pleno iure proprietatis, cum omnibus Juribus Honeribus, dignitatibus, nec non hominibus maioribus et minoribus et aliis rebus cultis et incultis, quesitis et inquirendis, Pratis, Agris, Siluis, Pascuis, viis et inviis, aquarum decursibus, et omnibus aliis pertinentiis liberaliter et solute perpetuo possidenda. In cuius rei testimonium et maioris roboris firmitatem presens priuilegium cum subnotatis testibus Sigilli nostri karactere iussimus communiri. Testes autem sunt. Volkmarus de Keminatin. et Markvvardus filius eius. Hermannus de Haeginberch. Gebhardus de Velvwin. Volricus de friendisperch. Heinricus de Prisingen. Heinricus de Isoldisried. Albertus et Vlricus Notarii. et alii quam plures. Actum et datum aput (apud) Claustrum Wilntin Anno domini M°. cc°. lx°. tertio xv. kalend. Maij. Septima Indictione.

a) Sigillum, in ora sinistra fractum, et in omni ora laesum, appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris, totam imaginem regis adhuc exhibens.

b) Indictio, litteris expressa, respondens potius anno Chr. 1264. quam 1263, ex aliis huius loci, atque aetatis diplomatibus istius Conradi sive Conradini, convincitur erronee scripta, loco Indictionis sextae.

c) Editum ab Aettenkhofer in der K. Gesch. der H. v. B. 168. num. 11. et a Lory im Lechrain 7. num. 8., ast in pluribus incorrecte:

recte: iterum in B. de Hormayr Beitr. zur Gesch. Tirols II. 107. n. 51.

d) Desumtum ex archivo domus regiae Bav. illucque redditum.

DCCCVI.

Anno 1264. 6. Februar. Augustae.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex, Sueviae dux et Lodwicus, comes Palatinus Rheni, dux Bawariae, cives Augustenses, cum rebus et personis, in specialem protectionem, per annos tres continuos duraturam, contra quascunque violentias, recipiunt, cum iisque talia pacta ineunt: quod civitatem et cives sive pro se sive pro episcopo Augustensi Hermanno, in suis districtibus, occasione cuiuscunque pignoris, non detinebunt; quod cives tantum infra civitatem possint conveniri, nisi quicquam habeant contra homines regis vel ducis; pignora et fideiussiones ad personas in statum pristinum infra dictum spatium revocabunt; auferent omnes iniquas exactiones, vulgo Vngelt, per praedictum episcopum vel alium recenter institutas, nec ipsi exigent; statuunt pedagia tantum sua consueta trans flumen Lici recipi; occasione civitatis apud Fridberch erigendae, stratos publicas aut pontes inter Licum et civitatem Augustensem non plus obligabunt, quam antea, nec cives Augustenses cogent inhabitare civitatem Fridberch, nec merces eorum ibi deponere infra dictum trium annorum spatium; nullos manifestos offensores civitatis, praeter voluntatem civium, intrare secum faci-

ent; quando iudicio principum de advocatia civitatis se intromittent, nullum eidem advocatiae vice sua, nisi ad festam beati Georgii proximum, proponent; simul privilegia antiqua conservabunt et nihilominus tres defensores, duos in Bawaria, unum in Suevia, in absentia sua, deputabunt; insuper promittunt, pensionem trecentarum librarum Augustensium, ratione huius defensionis, se quocunque casu emergente, medio tempore nolle augere.

CHonradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex dux Sweuie. Lodwicus eadem Gratia Clomes (comes) palatinus Rheni dux Bawarie. Scripto presenti dilectis nostris vniuersitati Ciuium Augustensium profitemur quod nos ipsorum rationabilibus precibus inclinati eosdem donec ad proximum festum beati Georij nunc venturum, et exinde per tres annos continuos quantum ad res personas sev iura Ciuitatis predicte in nostram protectionem specialem recepimus. eisdem contra quaslibet uiolentias auxilium prestiturj, siue post decisionem questionum quas cum dilecto consanguineo nostro venerabili patre domino Hartmanno Augustense (Augustensi) Episcopo ad presens habemus siue etiam ante easdem contigerit irrogari. nolentes Ciuitatem uel Ciues supradictos siue pro nobis, siue pro Episcopo memorato in rebus uel personis suis infra nostros districtus occasione cuiuscunque pignoris detineri. Concedimus insuper Ciuibus memoratis. ne a quoquam de hominibus nostris nisi sub iudicibus infra Ciuitatem ipsam iudicantibus valeant conuenirj vice uersa si quicquam contra homines nostros habuerint sub nostris iudicibus responsuri. Volentes ut sique de rebus uel personis eorundem occasione pignoris uel fideiussionis a quocumque de nostris detinentur ad personas, uel post hec infra spatium supradictum detineri contigerit in statum pristinum reuocari. detentoribus ipsis coram iudicibus ciuitatis iustitiam recepturis. Tollentes omnes iniquas exactiones que vvlgo dicuntur vngelt per supradictum Episcopum vel alium quemcum-

que de nouo in ipsius ciuitatis preiudicium institutas. Nichil etiam talium ab eis per nos ipsos aliquatenus exacturi. Statuentes etiam pedagia nostra debita et consweta trans flumen lici recipi sicut ante. Promittimus insuper quod occasione Ciuitatis quam aput (apud) fridberch erigere disposuimus stratas publicas, aut pontes inter licum et Ciuitatem Augustensem, aliunde non obliquabimus quam hactenus sit consvwetum Nec etiam Ciues supradicte Ciuitatis augustensis Ciuitatem Fridberch inhabitare uel ibidem si noluerint merces suas deponere uel ultra consweta pedagia persoluere infra dictum trium annorum spatium compellemus Item quotienscumque Ciuitatem augustam nos intrare contigerit, nullos nobiscum manifestos offensores eiusdem Ciuitatis preter voluntatem ipsorum Ciuium inferemus. Item quod si de aduocacia ipsius Ciuitatis Judicio principum, quos ad hoc curia edicta solempniter euocari conswetum est. intromittere nos contingat; nullum eidem aduocacie vice nostra donec ad festum beati Georij sequens proximum preponemus, et eidem Ciuitati ex tunc omnia iura sev immunitates sibi a nostris progenitoribus competentes dato Sibi super hoc priuilegio nostro conseruabimus illibatas, deputaturi eisdem nichilominus tres defensores, duos in Bawaria et vnum in Sweuia. qui in absentia nostra vices nostras subpleant in predictis cum de hoc fuerint requisiti. Promittentes insuper pensionem trecentarum librarum augustensium quam nobis ratione huiusmodi defensionis, singulis annis trium predictorum vltro se promiserunt et spontanee soluturos, quocumque casu emergente. medio tempore non augere. In cuius rei testimonium presentem cartam appensionibus sigillorum nostrorum necnon venerabilium patrum domini Eberhardi Constantiensis episcopi et domini Berhtoldi abbatis Sancti Galli. de quorum consilio predicta fecimus placuit communirj. Huius rei testes svnt Hermannus de Hvrnheim. Hadmarus de Labir. Heinricus de Rauinspurch Volchmarus et Marquardus de Caminata. Hermannus de Haegniberch, vlricus Marscalcus de Schiltperch. Arnoldus de Massinhusen, Winhardus de Rorbach, Wichnandus vicedominus Heinricus de Ysoltsriede, vlricus de Swinerdorf. Stvmpho. Ebirhardus, Lodwicus, albertus, et Fridericus notarii. et alii quam plures. Actum et Datum

Auguste Anno domini Millesimo. ducentesimo Sexagesimo quarto. Octavo Idus Februarii.

a) Ex quatuor sigillis appensis nonnisi primum ac tertium supersunt, secundo et quarto deperditis. Remansere etiam omnia quatuor segmenta membranacea, membranae inferius complicatae innexa, macula cerae, ceu indicio appressi olim sigilli, in secundo et quarto segmento adhuc conspicua.

Primum, quod restat, sigillum, nimirum Chonradi regis, valde laesum est, exhibens quidem potissimam imaginis partem, solis exceptis capite et laeva manu regis, sed utriusque inscriptionis paucas tantum litteras.

In area vocabulum primum alterius inscriptionis legitur: DVX.

Tertium sigillum, Eberhardi Constantiensis ecclesiae episcopi fere illaesum appendet.

b) Praeter annum Chr. nulla alia nota chronologica indicata est.

c) Ineditum, sed copiose, Germanice saltem, extractum a Braun in der Gesch. der Bisch. von Augsb. II. 280 — 283.

DCCCVII.

Anno 1264. 7. Julio. apud Pevron.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, curiam in Hermoldstetin, sibi ab Hermanno de Hagniperch resignatam, ad eius preces, ecclesiae Sancti Johannis in Steingadin, cum omnibus pertinentiis et septem personis, donat.

a) Sigillum valde laesum appendet ex filis sericis rubri, purpurei et viridis coloris. Laesione praedicta tota fere inscriptio circa imaginem, alterius etiam inscriptionis ultimum vocabulum periit.

b) Praeter annum Chr. nulla alia nota chronologica indicata est.

c) Editum in Mon. Boic. VI. 532. num. 45.

d) Nomen abbatis Campidonensis suppletum quidem ex diplomate 1266. 3. Octob. et ex Braun Gesch. d. B. von Augsb. II. 307., attamen non sine haesitatione, cum in Catalogo abbatum Campidon. apud Bruschium Monasteriolog. 112. et 113. nullus occurat Rupertus.

DCCCVIII.

Anno 1264. 20. Octobr. apud Fridberch.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sueviae, ecclesiae Sanctimonialium in Obirnschoenvelt, Cysterciensis ordinis, curiam in Vetinhouin, quam a se Chvonradus dictus Spannagil feodali titulo tenuit, libere donat.

Chvonradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex. Dux Sueuie. Regum ac principum interesse dinoscitur quod egestatem, et precipue inopiam religiosarum personarum que grauior ceteris apparet sue releuent presidio liberalitatis. Ea propter tenore presentium profitemur et constare volumus vniuersis tam presentibus quam futuris. quod nos considerata et diligentius intuita paupertate sanctimonialium in Obirnschoenvelt Cysterciensis Ordinis ibidem deo iugiter famulantium, Curiam in Vetinhouin. quam Chvonradus dictus Spannagil. a nobis feodali titulo tenuit, et que nobis iure proprietatis pertinebat, Ecclesie predicte in Obirnschoenvelt in remedium anime nostre ac omnium nostrorum progenitorum de nostre liberalitatis munificentia libere donauimus et concessimus proprietatis titulo cum omnibus suis pertinentiis perpetuo possidendam. Huius rei testes sunt Inclitus et Karissimus Auunculus noster Lodwicus Comes Palatinus Rheni. Dux

Bawarie. Hadmarus nobilis de Labir. Hermannus nobilis de Hvernheim. Hermannus filius suus. Rvodolfus de Hvernheim. Hermannus de Haeginberch. Chvonradus Pincerna de Ertpach. Heinricus de Isoldisriet, et alii quam plures. Ad cautelam siquiquidem et memoriam donationis eiusdem presentem paginam conscribi iussimus, et Sigilli nostri munimine roborari. Actum et datum apud FRidberch. Anno domini M°. CC°. LXIIII°. XIII. Kalend. Nouembris. Octaue Indictionis.

a) Sigillum fractum in duas partes, et valde laesum, conspicuis tamen aliquibus literis inscriptionis, appendet ex filis sericis purpurei coloris.

b) Indictio adhibita est caesarea, ac respondet anno expresso.

c) Ineditum.

DCCCIX.

Anno 1265. 17. Julio. Apud Lengenvelt.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sueviae, consensu et auctoritate tutoris sui Lodwici comitis Palatini Rheni, ducis Bawariae, Friderico Burcrauio de Nuorenberch, pro fideli servitio, advocatiam in Steina, titulo feudali confert, et uxorem Arnoldi de Sakendorf, sororem Chonradi de Brukberch, cum pueris eius, jure proprietatis donat.

Conradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex. dux Sweuie. Si fidelibus et bene meritis ad condigna premia respondemus Per hoc meritum aput devm et fauorem hominum nobis acquirimus. et nichilominus alii eorum exemplo ad nostra seruicia feruencius animantur. Tenore presencium profitemur. et pa-

tere volumus vniuersis intuentibus seriem huius scripti quod dilecto fideli nostro viro nobili friderico Burcrauio de Nuorenberch. qui per sua fidelia seruicia et deuota. se nostre Celsitudini gratum reddidit. et acceptum. de nostre liberalitatis Munificentia. de consensv. et auctoritate Tvtoris et auunculi nostri Karissimi Lodwici Incliti Comitis Palatini Rheni Dvcis Bawariae. advocaciam In Steina titulo contulimus feodali et vxorem Arnoldi de Sakendorf. videlicet sororem Chonradi de Brukberch. cum pueris suis eidem dedimus iure proprietatis omni tempore possidendam. In cuius rei euidenciam et perpetui roboris firmitatem presens scriptum Sigillis nostro videlicet et Predicti Tutoris nostri cum subnotatis testibus dari iussimus insignitum. Testes autem svnt. Arbo Archidiaconus Ratisponensis. Albertus Prepositus Ilmvnstrensis. Fridericus et Gebhardus Lantgrauii de Levkenberg. Albertus Levtzmannus. Hadmarus de Laber. Gebhardus Comes de Rotenekke. Otto de Brvhsel. Chonradus de Lupurch. Werenherus de Brvonne. Chonradus de Erenvels. Chonradus de Hohenvels. winhardus de Rorbach. Otto de Curia. Chonradus de Pavgolstorf. Wichnandus vicedominus. et alii quam plures.

Actum et datum aput (apud) Lengenvelt anno domni Millesimo dvcentesimo LXV. XVI. Kal. Augusti.

a) Duo sigilla, fracta tamen et valde laesa, appendent ex segmentis membranaceis.

Primi sigilli, scilicet regis Conradi, fragmentum nonnisi imaginis partem inde à genubus regis, cum aliquibus inscriptionis litteris exhibet.

Alterius sigilli, nimirum ducis, fragmentum integrum fere equum et equitem desuper sedentem conspiciendum sistit, vexillo tamen ac inscriptione penitus deperditis.

b) Praeter annum Chr. nulla alia nota chronologica indicata est.

c) Editum in Schütz Corp. hist. Brandenb. IV. Abtheil. 89. num.

53. et 143. num. 111. b. in Oetter II. Versuch 432. in Ussermann Episcopatus Wirceburg. Cod. probat. 63. num. 72.

d) Desumtum ex archivo Plassenburg.

DCCCX.

Anno 1266. 3. Octobr. in gradibus ecclesiae Augustensis.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex, ac dux Sueviae, Hartmanno episcopo Augustensi, qui eum in advocatum elegerat, et advocatiam civitatis et villarum illuc pertinentium ipsius tantum personae contulerat in feudum, se omnia subscripta, sub fide manibus data, servaturum esse promittit: ut libertas antiqua capitulo et ministerialibus totique clero conservetur; curiae in Herbergos hospitibus non tradantur, nec praeconum iudiciis perturbentur; quando precariae sive stiurae, de consilio episcopi per Conradi consules, praesentibus consiliariis ecclesiae, imponendae, exiguntur, medietas cedat episcopo; in officiis thelonei, monetae, praefecturae, cauponae sive thaevernae, pacis urbanae sive burcfride, iura debita episcopo conserventur; rex contentus sit iure advocatitio antiquo, nec in curiis villicalibus per officiales vel nuntios suos inconsueta servitia imponat; quidquid episcopus a fidelibus vel iudeis exegit vel recepit, nunquam rex in iure vel extra ius repetat; similiter autem episcopus iniurias sibi vel officialibus, a domino rege illatas, remittat; advocatia nullo alienationis titulo ad alias manus transferatur, nec cuiquam, nisi ministeriali regis, ecclesiae aut civitatis, aut cui

cui in absentia regis terra gubernanda committitur, commendetur; rex alienata vel commissa, ad episcopi sententiam, infra sex hebdomadas revocet et emendet; rex tenetur pro viribus revocare advocatiam forte distractam et impignoratam, ut in unius advocati regimine gubernetur, et ipsa advocatia ad legales tantum filios Conradi regis devolvatur.

In nomine sancte et indiuidie trinitatis Amen. Cvonradus secundus dei gratia Jerusalem, et Sicylie Rex ac Dux Sweuie, Omnibus imperpetuum. Instrumentum Venerabilis patris consanguinei nostri Dilecti dominj Hartmannj Episcopi Augustensis recepimus et transcribimus in hec uerba. Hartmannus dei gratia Ecclesie Augustensis Episcopus, Vniuersis tam presentibus quam futuris presens scriptum imperpetuum. Vtriusque tam spiritualis, quam temporalis Gladii, qui ueritate ewangelica innuente, ad totius orbis regimen desuper sunt concessi, nostris heu temporibus, ac presertim impartibus, est adeo dignitas inclinata, quod swadente mole peccaminum et humani generis inimico, nec iste correctionis limam, nec ille plectendo aciem defensionis extendere ualeat in rebelles, vnde et fides proh dolor non mediocriter tepuit, spes euanvit, et pace exulante ignis friguit caritatis. Hinc est quod nos Ecclesie nostre tranquillitatj cupientes prospicere, maturo Capituli nostri. Ministerialiumque nostrorum accedente consilio et assensu, Magnificum virum dominum Cvonradum secundum Jerusalem, et Sycilie Regem, Ducem Sweuie Illustrem nobis elegimus Aduocatum, persone dumtaxat ipsius domini Cvonradi, non Regie, uel cuiquam alij sue dignitati. Aduocatiam nostre Ciuitatis et villarum cum suis attinenciis eidem Aduocatie pertinencium in feudum conferentes. Qui et vice sacramenti, in subscriptorum Principum et aliorum presentia fidem in manibus nostris dedit, promittens se omnia subscripta nobis nostrisque successoribus et Ecclesie Augustensi fideliter seruaturum. Primo videlicet, ut libertas antiqua et approbata, nobis, et Capitulo nostro, ac Mini-

[illegible] nostris [illegible] Ecclesiis, Monaste-
ris, [illegible] personisque [illegible] [illegible] [illegible]
et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] per-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] seu [illegible]. [illegible] seu [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] Episcopo
[illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] sunt de [illegible] eiusdem
Episcopi [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. per [illegible] [illegible]
[illegible] Regis. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. presen-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]. [illegible]. [illegible]. [illegible]. [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible]. Officiis.
[illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ecclesiis per-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible]. [illegible] [illegible] per [illegible] [illegible] Regis [illegible]. et [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] est
[illegible] [illegible] et [illegible]. [illegible] [illegible] per [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. nec
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] etiam
[illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Rege.
[illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] sibi pertinentibus. [illegible]
est [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] est. ut [illegible]-
[illegible] [illegible]. per [illegible] [illegible] [illegible]. neque in
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. nec [illegible]. [illegible]. [illegible]-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible]. ad manus aliis transfera-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Regis. uel
Ecclesie Augustensis, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] committatur. Nisi
[illegible] [illegible] Regem ad terras longinquas transire contigerit
[illegible] [illegible] terram suam a terge gubernandam commiserit
[illegible] et [illegible] predictam, sub dictis obseruanciis usque ad

reditum commendare. Et quicquid alienatum uel commissum aliis fuerit, eo ipso omni careat firmitate! et nichilominus ipse dominus Rex, ut sic alienata uel commissa, infra sex ebdomadas reuocet et emendet, nostre iurisdictionj se subiecit, et sentencias sustinebit. Ceterum cum Ecclesia nostra in premissis, tam in Ciuitate, quam extra, vnum Aduocatum habere uelit et debeat ipse dominus Rex prefatam aduocatiam in partibus suis, et hominibus censualibus distractam, inpignoratam, seu quoquo modo alienatam tenetur in integrum pro viribus reuocare, ut in unius Aduocati regimine gubernetur. Ipsa quoque aduocatia, ad nullum nisi ad ipsius domini Cvonradi legales filios, qui per eum progeniti fuerint, deuoluatur. In quorum euidens testimonium, et plenam firmitatem. presentes inde confecte. nostro et Capituli nostri Sigillis fideliter sunt munite. Testes sunt. Venerabiles patres. dominus Eberhardus. Constanciensis Episcopus. Dominus Bertholdus Sancti Galli. Dominus Rvopertus campidonensis abbates. Livotoldus prepositus Episcopalis Celle Eberhardus Pincerna. Canonici Constancienses. Dominus Volricus Comes de Helfenstain. Dominus Bertholdus Comes de Marsteten. Dominus Volricus de Gvndelvingen, et Degenhardus filius suus. Dominus de Fasche. Nobiles. Hainricus de Ravensbvrch. Waltherus Dappifer (Dapifer) de Warthvsen. Bertholdus de Vroenhoven. Hainricus et Cvonradus pincerne de Wintersteten. Dominus Volcmarus de Kemenaten. et Marquardus filius suus, Dominus Swigerus de Mindelhain. et S. filius suus. Dominus Hermannus de Haegeniberch. Dominus Sifridus de Donersberch. Dominus Hainricus Kamerarius de Wellenbvrch. Dominus Hainricus de Algishvsen. et alii quam plures. Actum et datum Anno. domini M⁰. cc⁰. Lx⁰. Sexto. v⁰. Nonas Octobris. Indictione xª. ante horam vespertinam. in gradibus ecclesie Augustensis. Nos igitur profitemur liquido et testamur, quod predicta omnia recepimus et acceptamus et ad eorum obseruantiam, sub debito fidei prestite, nos presentibus obligamus, promittentes nos ea fideliter seruaturos. In quorum euidens testimonium et perpetuam firmitatem presentes nostro, et Venerabilium patrum. dominorum et amicorum nostrorum Eberhardi Episcopi Constanciensis. Bertholdi Sancti Galli. Rvoperti

Campidonensis Abbatum. Sigillis, consensimus et voluimus communiri. Actum et Datum loco. et tempore. supradictis. sub testimonio. testium. premissorum.

a) Sigilla, ordine in fine instrumenti memorata, ex filis sericis, viridis, flavi, rubri ac purpurei coloris appendent, et quidem primum, Conradi regis, tertium Berchtoldi abbatis Sancti Galli, quartum Ruperti abbatis Kampidonensis integra et fere illaesa, secundi autem, episcopi Constantiensis, fracti ac deperditi, massa solum cerae supina.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno Chr. indicato 1266.

c) Ineditum quidem, ast copiose extractum, Germanice saltem, a Braun in der Gesch. der B. von Augsb. II. 285 — 286.; paucis memoratum in Jäger Gesch. Konradins 83. et citato Stetten Gesch. v. Augsb. I. 75.

DCCCXI.

1266. 22. Octobr. Augustae.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex, dux Sueviae, Conrado Stromaer et haeredibus eius forestum in Nurimberc gubernandum et regendum confert, salvis annuis servitiis, curiae suae debitis.

Conradus secundus dei gratia Jerusalem et Sicilie Rex ac dux Sueuie. Tenore presencium protestamur quod Nos consideratis fidelibus et deuotis seruiciis que Conradus Stromaer Nobis exibuit et exhibet incessanter, eidem et heredibus suis. foraestum in Nurimberc. in eo Jure quo Henricus et Grammilibus fratres sui, et ipse usque in hec tempora tenuerunt, omni tempore gubernandum contulimus et regendum, Saluis tamen omnibus Juri-

bus et seruiciis, que singulis annis exinde nostre Curie debentur, more debito et consueto. In cuius rei testimonium presentem paginam conscribi Jussimus et Sigilli nostri munimine roborari. Actum et datum Auguste anno domini Millesimo. ducentesimo sexagesimo sexto vndecimo Kalendas Nouembris decime Indictionis.

a) Sigillum, in parte superiori laesum, ad latus dextrum inferius appendet ex segmento membranaceo, quod fuit pars extrema eiusdem instrumenti usque ad locum appensionis resecata.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno Chr. expresso.

c) Editum in (Wölkern) Historia dipl. Norimb. 158. num. 29. et in Schütz corp. histor. Brandenb. IV. Theil. 94. num. 57. ex authographo Onoldino.

DCCCXII.

Anno 1266. 23. Octobri. Augustae.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex, dux Sueviae, officiales et ecclesiam Sancti Vdalrici, infra muros civitatis Augustae, ab omnium officialium suorum in civitate, videlicet advocati, magistri civium, praeconum et totius civitatis jurisdictionibus, eximit, et iudicium ac justitiam super excessibus officialium ecclesiae soli abbati relinquit.

a) Sigillum valde laesum appendet ex segmento membranacco, quod inferiori lateri dextro membranae non complicatae cernitur affixum sive innexum. Nam ipsum hocce segmentum pars fuit extrema membranae eiusdem instrumenti, alias complicata, hic autem usque ad extremitatem, qua reliquae adhuc membranae cum frag-

mento sigilli adhaeret, resecata. Praedicta vero laesione tota pars sigilli superior destructa est, remanente solum parte eius inferiori, qua regis sedentis corpus à ventre et dextra manu usque ad pedes eius, simul tota inscriptio in area: Dux Sueviae, ac dimidia, media nimirum, circa imaginem inscriptio exhibentur. Caeterum pars sigilli residua recens inclusa est capsulae ex lamina ferrea.

b) Indictio, dicta caesarea, respondet anno Ch. indicato.

c) Editum in Mon. Boic. XXII. 223. num. 32.

DCCCXIII.

Anno 1266. 24. Octobri. apud Augustam.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sweviae, Lodwico et Heinrico, comitibus Palatinis Rheni, ducibus Bawariae, educatoribus suis, universa bona sua, sive patrimonialia, sive feudalia, tam in partibus Germanicis, quam Latinis, si absque liberis legitimis decesserit, pleno iure donat.

Cvnradus Secundus dej gratia Jerusalem et Sycilie Rex. Dux Sweuie Per Presens scriptum Notum facimus vniuersis Presentibus et futuris intuentibus seriem huivs scripti quod nos considerato pio et Sincero affectu quo nos avvnculi nostri karissimi Lodwicus et Heinricus Illustres Comites Palatini Rheni. Duces Bawarie fideliter educarunt et adhuc quasi Patres vnicum filium suum vlnis gratuite benivolencie favorabiliter amplectuntur, ipsis vniuersa bona nostra siue Patrimonialia siue feodalia cum omnibus hominibus nostris utriusque sexus quocumque titulo ad nos pertinentibus tam in partibus Germanicis quam Latinis si absque liberis legitimis decesserimus ex hac uita donauimus pleno iure

perpetuo libere possidenda. Ad huius itaque rei obseruanciam et stabilem Predictorum omnium firmitatem Presentem litteram nostro et venerabilium Patrum Domini Eberhardi Constanciensis Ecclesie Episcopi et domini Pertoldi Abbatis Sancti Galli et dilectorum fidelium nostrorum fridericj Comitis De Truhendingen fridericj Pvrgrauij De Nverenberch, Heinricj Marchionis De Bvrgawe et fridericj Comitis De Zolēr Sigillis cum subnotatis Testibus iussimus conmuniri. Testes avtem sunt fridericus Dux Austrie et Styrie Marchio de Baden, Meinhardus Comes Gōrizie. Tyrolensis Pertoldus Comes de graifspach. Pertoldus Comes de Eschenloch Vlricus de Gundolfingen et Degenhardus filivs suus de Hēilenstain fridericus de kafriach. Hermannus Rudolfus fridericus et Hermannus de Hvrnhain. Albertus Levzmannvs Albero de Prukkeberch Otto de Pruhsel Brvno de Risenspurch Cvnradus et Cvnradus Comites de Mosburch Gebhardus de Wilhain Waltherus Pincerna de limpurch Hainricus Camerarius de Ravenspurch Volchmarus de Komnata et Marquardus filius suus Hainricus et Cvnradus Pincerne de wintersteten Eberhardus Dapifer de walpurch Pertoldus de fronhoven, Cvnradus Chropho de fluglingen Hermannus de Haigniberch Arnoldus de Messenhusen Grimoldvs Hainricus et Cvnradus de Prisingen Hainricus et winhardus de Rorbach Vlricus de chamerberch Otto de frawenberch. fridericus de stavffenekke Hainricus de Isolsried et alij quam plures. Datum aput (apud) Avgustam Anno dominice incarnacionis Millesimo Ducentesimo lxvj^{to} Nono kalendas Novenbris.

a) Sigilla appendebant septem, ordine in diplomate indicato et a manu scribentis sinistra, alias dextra, numerato, quorum sex adhuc appendent, sexto deperdito sive avulso, remanentibus eiusdem filis. Color filorum sericorum idem singulis, diversus variis sigillis est adhibitus: 1mo. 3to. et 5to. ruber, 2do. et 6to. viridis, 4to. et 7^{timo}. flavus.

Sigillorum, quae restant, talis est conditio:

Primum, regis, fere illaesum.

Secundum, Eberhardi Constantiensis episcopi, in parte superiore fractum.

Tertium, Bertholdi abbatis Sancti Galli, in ora sinistra fractum, in ora reliqua nonnihil laesum.

Quartum Friderici comitis de Truhendingen, maioris moduli, cum scuto triangulo, fere illaesum.

Quintum, Friderici Burcgravii de Nuerenberch, cum sexto triangulo in area iacente, superiori angulo galea aperta et pennis cristata insidente, omnino fere illaesum.

Septimum, Friderici comitis in Zolre, illaesum, illi, quo usus est Burcgravius de Nuerenberch, simillimum, exceptis galea et pennis, quibus hoc scutum, atque triangulum, caret.

b) Indictio non est expressa.

c) Editum in Aettenkhofer k. Gesch. 172. et in Lory Lechrain 9. num. 12.

d) Desumtum ex archivo domus regiae Bavar.

DCCCXIV.

Anno 1266. 24. Octobri. Apud Augustam.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sweviae, privilegium genitoris sui Conradi, super obligatione castrorum Flozze et Parchstein, olim avo suo materno, Ottoni, comiti Palatino Rheni, duci Bawariae facta, de verbo ad verbum inserit, et avunculo suo Lodwico, comiti Palatino Rheni, duci Bawariae, confirmat.

Conradus Secundus dej GratiA. Jherusalem et Sycilie Rex. Dux Sweuie. Tenore presentium protestando publice profitemur. et No-

Notum facimus vniversis. presentibus et futuris. quod nos Priuilegium domini et Genitoris nostrj Conradi recolende memorie super obligatione, Castrorum Flozze et Parchstein. quam idem Genitor noster. quondam Auo nostro. Ottoni Comitj Palatino Rhenj, Duci Bawarie fecerat, constitutis in presentia nostra. venerabilibus Patribus. Domino Eberhardo Constantiensi Episcopo. et domino Bertoldo Abbate Sancti Galli. Friderico Comite de Truhendingen. Friderico Burgrauio de Nverinberch. Heinrico Marchione de Burgawe. Heinrico Camerario de Rauinsburch. Heinrico Pincerna de wintersteten. Volkmaro de Cheminata. Hermanno de Haeginberch. ac alijs nostris fidelibus, non abolitum, non cancellatum. nec in aliqua parte sui viciatum vidimus in hec verba. Conradus (etc. videatur annus 1251. mense Octob. Monaci.) Nos itaque in predictis prefato Genitorj nostro, consentire volentes. obligationem eandem. ratam et gratam habentes, quicquid in hac parte. predictus Genitor noster fecit. Auunculo nostro karissimo Lodwico Illustri Comitj Palatino Rheni. Duci Bawarie, presentis Scripti munimine confirmamus. In cuius rei testimonium et predictorum omnium stabilem firmitatem. presens Scriptum. nostro et predictorum dominorum Episcopi et Abbatis. Sigillis cum testimonio predictorum omnium iussimus communiri. Datum aput (apud) Augustam. Anno domini. Millesimo. Ducentesimo Sexagesimo Sexto. Nono kalend. Nouembris.

a) Sigillum primum, regis, in ora superiori et sinistra laesum, appendet ex filis sericis rubri coloris, integra adhuc regis imagine et maiori inscriptionis parte. Duo autem reliqua sigilla, episcopi et abbatis, perierunt, remanentibus filis sericis, membranae inferius complicatae innexis, quae sunt pro altero sigillo flavi, pro tertio viridis coloris.

c) Indictio non est expressa.

e) Editum in Aettenkhofer k. Gesch. 176. num. 12.

d) Desumtum ex archivo domus regiae Bavar.

DCCCXV.

Anno 1266. 24. Octobri. Apud Augustam.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sweviae, Lodwico, comiti Palatino Rheni, duci Bawariae, castrum Hohenstain cum advocatiis Herspruck, Vilsekke, nec non bonis Erbendorf, Vrbach, Hannenbach et Plech, ac universis pertinentiis, in recompensationem expensarum, quas primo in acquisitione castri et civitatis Nuerenberch, et postmodum pro consumatione matrimonii regis fecit, pro duobus millibus marcarum et ducentis marcis puri argenti, titulo pignoris, obligat.

Conradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex Dux Swevie. Tenore presencium protestando publice profitemur et patere volumus vniversis tam presentibus quam futuris quod nos Avvnculo nostro karissimo Lodwico Illvstri Comiti palatino Rheni Duci Bawarie Castrum nostrum Hohenstain cum Advocatiis Herspruck Vilsekke necnon bonis Erbendorf, Vrbach, Hannenbach et plech, ac vniversis pertinenciis eorundem in reconpensationem expensarum quas primo in acquisitione Castri et Ciuitatis Nverenberch et postmodum pro consumatione matrimonij nostri aput (apud) Babenberch, Nverenberch et alibi fecit pro duobus Milibus (millibus) Marcarum et Ducentis Marcis puri Argenti obligauimus titulo pignoris possidenda. Ad huius itaque rej obseruanciam et stabilem predictorum omnium firmitatem Presens scriptum nostro et Venerabilium patrum Domini Eberhardj, Constanciensis Eccelesie Episcopi et Domini Perhtoldi Abbatis Sancti Galli Avvnculi nostri predilecti Heinrici Illustris Comitis Palatini Rheni Ducis Bawarie, et dilectorum fidelium nostrorum friderici Comitis de Truhendingen, friderici Purgravii de Nvrenberch.

Heinrici Marchionis de Burgawe et Fridrici Comitis de Zoler Sigillis cum subnotatis Testibus iussimus communiri. Testes avtem sunt. Fridericus Dux Avstrie et stierie Marchio de Baden. Meinhardus Comes Gorizie Tyrolensis, Pertoldus Comes de graifspach, Pertoldus Comes de Eschenloch, Fridericvs de Kafriak. Hermannvs Rudolfus Fridricus et Hermannus de Hvrnhein, Albertus Livzmannus, Albero de Prukkeberch, Otto de Pruhsel, Brvno de Risenspurch, Cvnradus et Cvnradus Comites de Mosburch, Waltherus Pincerna de limpurch. Heinricus Camerarius de Ravenspurch. Volcmarus de komnata et Marquardus filius suus. Heinricus et Cvnradus Pincerne de Wintersteten Pertoldus de Fronhoven. Cvnradus Cropho de Fluglingen, Hermannus de Haigniberch. Arnoldus de Messenhusen, Grimoldus Heinricus et Cvnradus de Prisingen. Heinricus et Winhardus de Rorbach. Vlricus de Kamerbach. Otto de Frowenberch, Fridericus de Stavfenekke Hainricus de Isolsried et alij quam plures. Actum et datum apud Avgustam, Anno dominice incarnationis. Millessimo Ducentesimo, lxvj^{to}, Nono Kalendas Nouenbris. (Novembris.)

a) Sigilla appendebant octo, ordine in diplomate expresso, incipiendo à dextera, quae est scribentis sinistra; quorum septem adhuc appendent, penultimo sive septimo, quod fuit Heinrici marchionis de Burgawe, deperdito, sive avulso, sive nunquam appenso, filis tamen illi praeparatis, etiam nunc remanentibus. Color filorum sericorum idem singulis, diversus variis est adhibitus sigillis: 1mo, 4to, et 7^{timo}, ruber, 2do, 5to et 8 viridis, 3^{tio} et 6to flavus.

Sigillorum, quae restant, talis est conditio.

Primum, regis, omnino fere illaesum.

Secundum, Eberhardi Constantiensis episcopi, illaesum.

Tertium, Bertoldi abbatis Sancti Galli, fere illaesum.

Quartum, Heinrici com. pal. Rheni, ducis Bavar., in omni ora laesum, in medio et ora sinistra fractum, cum scuto triangulo, in quo conspiciuntur Rhombi decem prominentes, ac circiter altius impressi.

Quintum, Friderici comitis de Truhendingen, illaesum, cum scuto triangulo.

Sextum, Friderici Burcgravii de Nuerenberch, fere illaesum, cum scuto triangulo iacente, cuius angulo sinistro galea aperta et pennis cristata insidet.

Octavum, Friderici comitis in Zolre, fere illaesum, ei, quo usus est Fridericus Burcgr., simillimum, exceptis galea et pennis, quibus hoc scutum caret.

b) Editum in Aeltenkhofer k. Gesch. 178. num. 13.

c) Desumtum ex archivo domus regiae Bavaricae.

DCCCXVI.

Anno 1266. 30. Novembr. Augustae.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sweviae, ex petitione fidelium suorum civium Augustensium, iudeis suis, ad cameram suam spectantibus et cum civibus Augustae commorantibus, hanc fecit gratiam specialem: ab omnibus servitiis usque ad proximum diem Sancti Georgii et per annos quinque continuos, eosdem iudeos facit penitus solutos, ita tamen, ut memorati iudei, praeter triginta libras denariorum Augustensium, regi iam persolutas, residuis quatuor annis, quolibet anno, decem libras denariorum Augustensium, in die Sancti Georgii similiter camerae suae com-

ponant; quatuor autem viris, videlicet Chonrado, dicto Hvrnloher, et Vlrico dicto Claindienst, civibus, Davidi et Liebermano, iudeis, iniungit decernere, quantum iudei extranei, in Augustam se recipientes, ad praedictum tempus, regi servitium praestent; tuitionem et defensionem iudeorum, Augustae residentium, advocato suo, magistro civium, consulibus et communitati totius civitatis committit, quibus praecipit, ut iudeos contra quascunque violentias defendant.

Chonradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex Dux Sweuie Uniuersis presentium Inspectoribus Salutem et omne bonum Qvanto igitur maiora et clariora seruicia cum omni fidelitate et deuotione fideles et deuoti nostri Ciues Augustenses diuis progenitoribus nostris exhibuerunt et nobis exhibent frequenter tanto ampliori gratie nostre prerogatiue et honoris exhibitione Ciues ipsos gratanter debemus honorare fouere et promouere Eapropter notum esse cupimus vniuersis quod nos ex rationabili petitione dictorum fidelium ciuium nostrorum Iudeis nostris spectantibus ad Cameram Magestatis nostre nunc residentibus cum ipsis in Augusta hanc fecimus gratiam specialem. Omnibus enim seruiciis, quibus nobis ex debito iuris ipsi Judei sunt obligati conditione subscripta vsque ad diem proximum sancti Georij Martyris et abinde per annos quinque continuos damus et reddimus penitus solutos. Pro hac igitur ipsis exhibitione gratie nostre pretaxate Anno primo Memorati Iudei Triginta libras denariorum Augustensium nobis persoluerunt et de residuis quatuor annis, quolibet anno decem libras denariorum Augustensium, In die Sancti Georij. Camere nostre similiter conponent et ulterius magis seruicium nullatenus ab ipsis dum ad tempus predictum requirere uolumus et debemus Insuper Si Judei extranei cum residentia postmodum se receperint in Augusta arbitrio fidelium et deuotorum nostrorum videlicet Chunradi dicti Hvrnloher et vlrici dicti Claindienst Ciuium, Davydis et Liebermani Iudeorum con-

[illegible]

[illegible]

Quartum in ora dextra laesum, Hermanni (de Haegniberch).

Quintum denique integrum et illaesum, Hainrici de Isoltsried.

Quatuor ultimorum sigillorum fila, omnia sunt rubri, viridis et caerulei coloris.

b) Praeter annum Chr. nulla est expressa nota chronologica.

c) Ineditum, paucis tantum indicatum in von Stetten Gesch. de R. Stadt Augsb. I. 75. et ex eo in Jäger Gesch. Conradins. 93.

DCCCXVII.

Anno 1267. 10. Febr. apud Augustam.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex, dux Sueviae monasterio de Caesaria curiam in in Pirchach donat.

Conradus secundus dei gratia Jerusalem et Sicilie Rex. Dux Sueuie. Tenore presencium profitemur et constare uolumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod Nos considerata fide pura et deuocione sincera quam conuentus Ecclesie de Cesaria ex antiquo erga diuos progenitores nostros habuit. quam etiam nobis exhibere non desinit incessanter. Nos ipsi Cenobio proprietatem quam in Curia Pirchach ex hereditaria successione habere dignoscebamur de nostre liberalitatis Munificentia et in remedium nostri ac progenitorum nostrorum contulimus. ac donauimus libere et in perpetuum possidendam. In huius autem donacionis concessionis et gracie memoriam presentem litteram cum annotatione testium conscribi iussimus et Sigilli nostri munimine roborari. testes vero sunt hii volchmarus, et Marquardus de Caminata. Fridericus de Staufenek. Haynricus de Schonek. Haynricus de Ysoltried et alii quam plures. Actum et datum

apud Augustam Anno domini Millesimo ducentesimo Sexagesimo Septimo. decime Indictionis Quarto Idus Februarii.

a) Sigillum, in ora sinistra laesum, integra tamen regis imagine, appendet ex filis sericis purpurei, flavi et viridis coloris.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Spies Aufklärung 232. n. 15.

d) Cognomen testis de Schonek prima manu una litera n. exaratum fuit, cui manus secunda alio atramento addidit alteram n.

DCCCXVIII.

Anno 1267. 12. Februar. Augustae.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Siciliae rex, dux Sueviae, monasterio Caesaria curiam in Niwenwilar donat.

Conradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sicilie Rex. Dux Sueuie. Tenore presencium profitemur et constare volumus vniuersis tam presentibus quam futuris. Quod Nos considerata fide pura et deuocione sincera quam Conuentus Eclesie de Cesaria ex antiquo erga diuos progenitores nostros habuit quam ecclesia nobis exhibere non desinit incessanter nos ipsi Cenobio proprietatem quam in Curia Niwenwilar ex hereditaria successione habere dignoscebamur de nostre liberalitatis Munificencia et in remedium anime nostre ac progenitorum nostrorum contulimus ac donamus libere et in perpetuum possidendam. In huius donacionis euidenciam et perpetuam memoriam presentem litteram cum annotatione testium subscriptorum et Sigilli nostri munimine roboram. Testes vero sunt. Ludewicus Comes palatinus Rheni. Dux Bawarie Hermannus de Hurnheim volchmarus et Marquardus de

de Chemnaten. Hermanus de Haegniberch. Heinricus pincerna. de Smalnekke. Heinricus de Isolsrit. Arnoldus de Massenhvsen. et Heinricus de anmeking. Actum et datum auguste anno domini. M. CC. LX. VII. pridie Idus februarii X. Indictionis.

a) Sigillum, quod appendebat, periit, cuius duo supersunt vestigia, 1. pars membranae inferius complicatae, 2. foramen illi incisum, ac inserendo segmento membranaceo aptum; nam reliqua pars complicatae illius membranae cum ipso sigillo abscissa est.

b) Indictio respondet anno Chr. indicato.

c) Editum in Spies Aufklärung 232. n. 16.

d) Testis ultimi cognomen, obscurius scriptum, vix anmerting, sed potius anmeking, quamvis forsan erronee pro Anmerking, legi potest aut debet.

DCCCXIX.

Anno 1267. 28. Mai. in Chadolspurch.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sueviae, propter grata servitia Friderici Burgravii in Nvrenberch, sacro Romano imperio, progenitoribus suis et sibi impensa, ad instantissimas eius preces, eo sine haerede masculo defuncto, Mariam filiam eius, Ludewici iunioris comitis de Otingen coniugem et haeredes ab ea procreatos, tam Burgraviatu, quam omnibus aliis feodis, quae dictus Fridericus Burggravius ab imperio tenet, oppido Swante dicto, cum pertinentiis eius, tantum excepto, infeodat.

In Nomine Domini Amen. Chvnradus Secundus Dej gratia. Jerusalem et Sycilie Rex Dux Sueuie. Notum esse volumus vni-

uersis ad quos presens scriptum peruenerit, quod nos attendentes fidem et deuocionem nec non grata seruicia, que Dilectus familiaris noster nobilis vir Fridericus Burgrauius in Nvrenberch. Sacro Romano Imperio progenitoribus nostris. et nobis impendit hactenus et impendere poterit in futurum. instantissimis precibus suis inclinati, si sine Herede Masculo decesserit Dominam Mariam filiam suam. nobilis viri Ludewici Comitis Junioris de Otingen Coniugem. et heredes qui ab ea procreati fuerint tam Bvrgrauiatu quam omnibus aliis feodis que dictus Fr(idericus) Bvrgrauius ab Imperio Romano tenet. Opido Swante dicto cum suis pertinenciis excepto, infeodavimus, et esse volumus infeodatam. Huius rei Testes sunt. Lodewicus Illustris Comes Palatinus Reni. Dux Bawarie. Ludewicus senior Comes de Otingen. Hainricus Comes de Chastel. Dominus Vlricus de Wartperch. Hermannus de Hvrnhaim. et h. filius eiusdem. Wolframmus aduocatus de Dornberch. Herdegenus de Grindelach. et alii quam plures. Et ne super premissis aliquod in posterum possit dubium suboriri presentes litteras conscribi fecimus, et nostri Sigilli Karactere insigniri. Actum et Datum In Chadolspurch. Anno Domini. M°. CC°. LXVII°. Quarto die exeunte Maio. Indictione Decima.

a) Communicatum ex Archivo Oettingano per illustr. principem Carolum de Oettingen-Wallerstein.

b) Indictio respondet anno Chr. expresso.

c) Editum cum specimine tam diplomatis, quam appensi sigilli in Oetters Versuch einer Gesch. der Burggraven zu Nuernberg IIter Versuch 507 et 508 nec non ad p. 517. cum consentaneo diplomate Ludewici com. palat. Rheni, ducis Bawariae eiusdem anni, diei ac loci p. 475 — 478. similiter cum eius specimine; dein in Falkenstein codice diplom. Norimb. sive Tom. IV. historiae eius Norimb. 67. num. 57. laudatum autem in den Materialien zu Oetting. Gesch. III. 11.

DCCCXX.

Anno 1267. 27. Decembr. Veronae.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sweviae, Lodwico comiti palatino Rheni duci Bawariae, avunculo suo, pro mille quingentis marcis argenti, Coloniensis ponderis, de quibus apud matrem suam Elizabet et Meinhardum comitem Goriciae et Tyrolensem maritum eius, cum magna apud Veronam necessitas sibi incumberet, integre se absolvit, oppidum suum Schongawe et villam suam in Moringen cum toto Hybisch et omnibus pertinentiis, titulo pignoris tamdiu obligat, donec per regem, vel eius pueros, si quos habuerit, praedictae mille quingentae marcae fuerint persolutae.

Conradus secundus dej gratia Jerusalem et Sycilie Rex, Dux Sweuie. Quia diuturnitas temporis obliuionem ingerit rebus gestis, ne facta hominum dubietate uel uarietate aliqua infirmentur, necesse est ad memoriam rerum gestarum optinendam scripture testimonium adhiberj. Tenore siquidem presentium protestando publice profitemur, et notum facimus vniuersis, intuentibus seriem huius scripti, quod Lodwico Inclito Comitj Palatino Renj, Ducj Bawarie, Auunculo nostro karissimo, pro Mille, Quingentis, Marcis Argentj, Coloniensis ponderis, de quibus aput (apud) karissimam matrem nostram Elizabet, et Meinhardum Comitem Goricie et Tyrolensem, maritum eius, cum magna nobis aput Veronam, necessitas incumberet integre nos absoluit, opidum nostrum Schongaowe, et uillam nostram in Moringen, cum toto Hybisch, necnon omnibus Iudicijs, Juribus, Aduocatijs et vniuersis alijs eorum pertinentijs, agris, pratis, pascuis, siluis,

molendinis, et aquarum decursibus, cultis et incultis, quesitis et inquirendis, titulo pignoris obligauimus, tamdiu possidenda, donec per nos, vel pueros nostros siquos habuerimus, sibi uel pueris suis, predicte Mille, quingente marce, fuerint integraliter persolute. Ad hujus itaque rej memorialem obseruantiam et roboris firmitatem, presens scriptum inde fierj fecimus, et dicto auunculo nostro darj, cum subnotatis testibus, sigillo nostre celsitudinis insignitum. Testes autem sunt, Fr(idericus) Dux Austrie consangwineus noster dilectus, Berhtoldus Comes de Marsteten, Albertus Livzmannus, Berhtoldus Comes de Eschenloch, Bonifacius de Castlabark, Bernhardus de Wilhain, Cvnradus de Lvppurch Fridericus et Hermannus de Hvrnhain, Albertus Junior de Niffen, Conradus Pincerna de Limpurch, Conradus Cropho de Fluglingen, Heinricus Kamerarius de Prisingen, Conradus de Pogen, Conradus de Frivndsperch Alrammus de Rotauwe, et alij quam plures. Datum Verone. Anno dominj, Millesimo, Ducentesimo Sexagesimo septimo, vj. kalendas Januarij, Decime Indictionis.

a) Sigillum, fere illaesum, bene expressum, appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio ordinaria respondet anno indicato, non more Germanorum cum 25. Decembris eiusdem anni nostri, sed more Italorum cum 25. Martii sequentis anni incepto, ac numerato.

c) Editum in Aettenkhofer K. Gesch. 180. et in Lory Lechrain. 10. num. 13.

d) Desumtum ex Archivo domus regiae Bavaricae.

DCCCXXI.

Anno 1268. 10. Januar. Veronae apud Sanctum Zenonem.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Syciliae rex, dux Sueviae, Lodwico, comiti palatino Rheni, duci Bawariae, avunculo suo, qui procedendo secum in Veronam cum honesta armatorum et militum comitiva, stando in regis servitiis, de consulum ac officialium suorum, nominibus expressorum, conscientia, in compensationem ipsarum expensarum tunc temporis factarum, quas rex solvere non potuit, advocatiam civitatis suae in Augusta, castrum suum Swabek, cum advocatia apud stratam super homines et bona omnia ecclesiarum et civitatis et diocoesis Augustensis, advocatiam super homines et bona in Fuezen et curiam suam supra montem, cum omnibus pertinentiis, proprietatibus et feudalibus bonis, pro duobus millibus marcarum argenti, Coloniensis ponderis, titulo pignoris tamdiu obligavit, donec duci et ipsius haeredibus per regem vel quoscunque eorundem bonorum suorum succesores fuerint persoluta. Ut autem avunculum suum indempnem de praedictis expensis conservet, protestatur: si quid per ius de praedictis pignoribus dux Lodwicus perdiderit, tunc ex omnibus regis proprietatibus, tam ipsi quam fratri ipsius Heinrico, si sine liberis legitimis decesserit, donatis, de praedicta pecunia ipsi et haeredibus eius plena recompensatio fiat, antequam inter prae-

dictos avunculos suos Lodwicum et Heinricum aliqua divisio de praedictis proprietatibus habeatur.

COnradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex. Dux Sweuie, Hvmana natura quia labilis est et breuis neccesse est admemoriam rerum gestarum obtinendam scripture testimonium adhiberi. Tenore itaque presentium protestando publice profitemur et notum facimus vniuersis intuentibus seriem huius scripti quod nos consideratis laboribus et expensis quas Avunculus noster Karissimus Lodwicus Illustris Comes Palatinus Rheni Dux Bawarie, procedendo nobiscum in veronam cum honesta armatorum et militum comitiua et ibidem stando in nostris serviciis de certa nostra et consulum ac Officialium nostrorum videlicet Ruberti Filmagery. Magistri Petri de Prece, Friderici Notary nostri ac Vlrici de Memendorf conscientia fecit, qui ab officialibus eiusdem Awnculi nostri fuerunt de ipsis expensis rationabiliter expediti. eidem awnculo nostro inrecompensam ipsarum expensarum, quas ipsi tunc temporis licet multum neccessarias habuisset soluere nequibamus Aduocatiam Ciuitatis nostre In Augusta Castrum nostrum Swabck cum omni Aduocatia quam aput Stratam super homines et bona omnium Ecclesiarum, Ciuitatis, et dyocesis habemus. Item Aduocatiam super homines et bona Ecclesie in Fuezen et Curiam nostram supra montem cum omnibus iuribus. Judiciis, Aduocatiis et pertinenciis eorundem quesitis et inquirendis cultis et incultis agris Pratis Pascuis, silvis venationibus aquarum decursibus, proprietatibus, videlicet et Pheodalibus bonis pro duobus Milibus Marcarum argenti Coloniensis ponderis titulo pignoris obligamus tamdiu possidenda donec sibi et suis heredibus per nos uel quoscumque eorundem bonorum nostrorum successores dicta peccunia integraliter fuerit persoluta. Demum vt eundem Awnculum nostrum, quem propter sue fidei merita speciali dilectione inter alios Amicos nostros vlnis patencioribus amplexamur, si quod absit ante solutionem dictorum bonorum decedere nos contingat, indempnem de predictis expensis conseruemus. volumus et etiam protestamur vt

quicquid ratione iuris siue per ius de predictis pignoribus perdiderit de omnibus proprietatibus nostris quas tam ipsi quam fratri suo post nostrum obitum si sine libris legitimis decesserimus donauimus, de predicta peccunia sibi et suis heredibus recompensatio plena fiat ante quam inter predictos Awnculos nostros Lodwicvm et Hainricum aliqua diuisio de predictis proprietatibus habeatur. Ad huius itaque rei memorialem obseruanciam et pleni roboris firmitatem presens scriptum inde fieri fecimus et Sygillo nostre celsitudinis communiri cum testibus subnotatis. qui sunt. Fridericus Dux Austrie. Albertus prepositus Illenmunstrensis Albertus Levzmannus Hainricus Camerarius de Prisingen vlricus de Memendorf Fridericus et Conradus Notarii Curie nostre. Actum et Datum verone apud sanctum Zenonem Anno domini Millesimo Ducentesimo. Lxviij decimo January Indictionis Vndecime.

a) Sigillum illaesum appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio convenit cum Anno Ch. indicato 1268.

c) Ineditum saltem in hac forma. Nam displicuit hoc exemplar creditori et obligationis chartam impetranti Ludwico Com. pal. Rheni, duci Bawariae, atque, sine dubio ex eius petitione, aliud emendatius instrumentum fuit supperadditum, ab hoc in pluribus locis non tantum vocabulorum constructione, sed etiam in contextu dissonans, pluraque huic interserens, quod cuique conferenti illa patebit.

DCCCXXII.

Anno 1268. potius quam 1267. 10. Januar. Veronae apud Sanctum Zenonem.

Conradus, vulgo Conradinus, Jerusalem et Sycilie rex, dux Sueviae, Lodwico, comiti palatino Rheni, duci Bawariae, avunculo suo, qui procedendo secum in Veronam cum honesta armatorum et militum comitiva, stando in regis servitiis, de consulum ac officialium suorum, nominibus expressorum, conscientia, in compensationem ipsarum expensarum tunc temporis factarum, quas rex solvere non potuit, advocatiam civitatis suae in Augusta, castrum suum Swabekk, cum advocatia apud stratam super homines et bona omnia ecclesiarum et civitatis et diocoesis Augustensis, advocatiam super homines et bona in Fuezzen et curiam suam supra montem, cum omnibus pertinentiis, proprietatibus et feudalibus bonis, pro tribus millibus marcarum, puri argenti; cum tamen expensae ipsius summam praedictam longe transcenderent, titulo pignoris tamdiu obligavit, donec ipsi, pueris et uxori eius, per regem vel quoscunque eorundem bonorum suorum successores fuerint persoluta. Ut autem avunculum suum indempnem de praedictis expensis conservet, per scripta praesentia protestatur: si quid per ius de praedictis pignoribus dux Lodwicus perdiderit, tunc ex omnibus regis proprietatibus, tam ipsi quam fratri ipsius Heinrico, si sine liberis legitimis decesserit, donatis, de praedicta pecunia ipsi et ipsius pueris vel uxori ip-

ipsius, non obstante donatione plena recompensatio fiat, antequam inter praedictos avunculos suos Lodwicum et Heinricum aliqua divisio de praedictis proprietatibus habeatur.

Chonradus Secundus dei gratia Jerusalem et Sycilie Rex, Dux Sveuie. Humana natura. quia labilis est et breuis. necesse est ad memoriam rerum gestarum obtinendam. scripture testimonium adhiberi. Tenore itaque presentium protestando publice profitemur. et notum facimus vniuersis intuentibus seriem huius scripti. quod nos consideratis magnis laboribus et expensis. quas Auunculus noster karissimus Lodwicus Illustris Comes Palatinus Rehni, Dux Bawarie, procedendo nobiscum in Veronam, cum honesta armatorum et militum comitiua. et ibidem stando in nostris seruicijs fecit. de certa nostra et consulum ac officialium nostrorum conscientia. videlicet Ruperti filmagerij magistri expensarum nostrarum, magistri Petri de Prece prothonotarij curie nostre, Friderici notarij nostri, ac Vlrici de Memindorf. qui ab officialibus ipsius Auunculi nostri, fuerunt de ipsis, racionabiliter, expensis expediti. eidem auunculo nostro in recompensam ipsarum expensarum. quas ipsi tunc temporis. licet pro se ac suis valde necessarias habuisset. soluere non potuimus. aduocatiam ciuitatis nostre in Augusta, Castrum nostrum Swabekk, cum omni aduocatia. quam aput stratam super homines et bona omnium ecclesiarum ciuitatis et dyocesis habemus. Item aduocatiam super homines et bona ecclesie in Fuezzen, et Curiam nostram supra Montem cum omnibus Juribus, dignitatibus, Judicijs, Aduocatijs, ac alijs quibuslibet pertinentijs eorundem. proprietatibus videlicet ac feodalibus bonis. pro tribus milibus Marcarum puri argenti. cum tamen expense sue, summam predictam, longe transcenderent. titulo pignoris obligauimus, tamdiu possidenda, donec sibi, pueris, vel uxori sue. per nos, vel quoscumque eorundem bonorum successores. dicta peccunia integraliter fuerit persoluta. demum. vt eundem auunculum nostrum. quem propter fidei sue merita speciali dilectione inter

ceteros amicos nostros, vlnis patentioribus amplexamur. si. quod absit, ante solutionem dicte pecunie, decedere nos contingat indempnem de predictis expensis fideliter conseruemus. volumus et per scripta presentia protestamur. ut quicquit per ius de predictis pignoribus perdiderit. de omnibus proprietatibus. quas tam ipsi quam fratri suo post nostrum obitum. si sine liberis legittimis decesserimus. legauimus et donauimus. de prefata pecunia sibi, pueris, vel uxori sue. non obstante predicta donatione. recompensatio plena fiat. antequam inter predictos Auunculos nostros, Lod(wicum) et Heinr(icum) aliqua diuisio, de predictis proprietatibus habeatur. Ad huius itaque rei memoriam et obligationis predicte plenissimam firmitatem. presens scriptum inde fieri fecimus. sigillo nostre celsitudinis communitum. cum subnotatis testibus. qui sunt. Fridericus dux Austrie Auunculus noster. Albertus prepositus Ilnmuenstrensis. Albertus Livzmannus Fridericus de Hvernheim. Chonradus Chropfo de Flvegling marscalcus noster. Heinricus Camerarius de Prising, predicti Auditores rationum nostrarum. Chonradus notarius curie nostre ac alij quam plures. Actum et Datum Verone aput (apud) Sanctum Zenonem. Anno domini Millesimo ducentesimo Sexagesimo septimo. Decimo Januarij vndecime Indictionis.

a) Sigillum in ora superiori laesum, integra tamen regis imagine et salva omni fere inscriptione, appendet ex filis sericis rubri coloris.

b) Indictio ordinaria, anno nostro 1268 convenit, quem nimirum tunc scriptor huius diplomatis more Italorum demum cum 25. Martii inchoavit. Hunc solum annum primus adventus Conradini Veronae admittit, qui demum 20. Octob. 1267. contigit. Cnfr. Raumer Hohenstaufen IV. 576.

c) Editum in Aettenkhofer K. Gesch. 181 — 183. et in Lory Lechrain 11. num. 14.

d) Desumtum ex archivo domus regiae Bavaricae.

*) Adest aliud exemplar, cum integro sigillo, annum exprimens 1268; ast in pluribus minus clare conceptum, in aliquibus plane dissonans, cui, cum displicuisset Lodwico palat. Rhen. ac duci Bavariae, hocce alterum emendatius fuit superadditum.

Diversitates utriusque exemplaris potissimae sunt:

1. in numero expensarum, hic ultra tria millia marcarum puri argenti, ibi duo millia Coloniensis ponderis;
2. in personis, quibus facienda solutio et compensatio expensae pecuniae;
3. in testibus, hic enim plures sunt adhibiti testes, et nichilominus eorum numero clausula additur: ac alii quam plures.

DCCCXXIII.

Anno 1271. 12. Septemb. Cnareborg.

Ricardus rex, volens Wernero, Maguntino archiepiscopo, principi suo, labores de sumptus erga se factos compensare, fidelibus suis, Wernero et Philippo de Bolandia mandat: ut quingentas marcas Colonienses, primo festo beati Martini hyemalis, de redditibus, eis commissis, archiepiscopo aut certo eius nuntio, absque difficultate, persolvant.

Ricardus dei gratia Romanorum Rex semper augustus. Dilectis fidelibus suis. Wernero et Philippo de Bolandia gratiam suam et omne bonum. venerabilem W.. Maguntinum Archiepiscopum Karissimum Principem nostrum sincere dilectionis brachiis amplexantes. ac uolentes in recompensationem suorum laborum et sumptuum erga eum extendere munificencie nostre

manus, fidelitati uestre mandamus finaliter et districte. quatinus sicut nostrum fauorem diligitis nostrumque affectatis comodum et augmentum. Quingentas. Marcas Colonienses in proximo festo beati Martini hyemalis de nostris redditibus quos uobis confidenter commisimus, sibi uel suo certo nuncio sine more dispendio et difficultate qualibet persoluatis. Nos enim in uestra computatione facienda nobiscum de predicta summa pecunie persoluta eidem. vos dimittemus penitus absolutos. vnde soluta sibi predicta pecunia. reseruetis uobis has litteras in testimonium ueritatis.

Datum Cnareborg. XII die Septembris. Indictione XIIII, Regni nostri anno XV.

a) Sigilli, cerae rubrae impressi; sed fracti, pars superior appendebat ex segmento membranaceo ab infima instrumenti margine resecto, quae caput cum pectore regis optime expressit; iam ipsa pars casu avulsa separatim chartae adiacet.

b) Annus Chr. omissus ex indictione et anno regni facile cognoscitur. Notandum enim, Richardi diplomata germanica usque ad medium mens. Decembr. anni 1271 exporrigi; unde eius obitus ex fide Mathaei Westmonasteriensis ad 2. April. potius anni 1272, quam 1271 pertinet.

c) Ineditum.

DIPLOMATA FALSA ET RESCRIPTA.

Quum ex consulto classis historicae series authenticorum diplomatum imperatorum ac regum solummodo ad Rudolphum I. e stirpe Habspurgica sit producenda, diploma regis Richardi pro archiepiscopo Moguntino seriem praedictam terminat. Si complura documenta ad seriem istam pertinentia omisimus, quae paene omnia a variis scriptoribus jam edita sunt et quorum originalia in scriniis regni adhuc asservantur, hoc ideo factum est, quod ista diplomata partim sint falsa, partim renovata et rescripta. Consultius meliusque igitur visum est, haec diplomata hinc adnectere, quam falsa et rescripta veris ac authenticis immiscere. Duodecim vero documenta sequentia inter falsa et renovata putamus censenda.

I.

Annus fictionis 773, forma membranae ex saeculo X., scriptura falsarii ex saeculo XII. medio.

Carolus M. imperator, rogatu coniugis suae Hildegardis, in monasterio Campidonensi Audogarium primum abbatem instituisse, ipsumque locum in pago Ilregowe situm, et diversis muneribus in pago Ilregowe, Albegowe et Augestgowe ex materna haereditate ditatum,

[illegible] constituisse, et [illegible] dicitur.

Data [illegible] incarnatione domini [illegible] xxxii. indictione x. Anno vero regni [illegible] Karoli [illegible] imperii primo. Actum [illegible] in ecclesia sancti petri coram [illegible] papa et multis aliis principibus in dei nomine feliciter Amen.

a) [illegible] Forma sigilli [illegible] argumenta [illegible]

b) Non negamus [illegible] ex Papebrochii [illegible] Tom. III. April. p. [illegible] patefactos, [illegible] Tentzelio, Wegelino et aliis; sed [illegible] fictionem [illegible] contextus; II° [illegible] characteres litterarum saeculi IX aut X, manu autem imitatoris sibi haud constante, potius ex saeculo XII [illegible]; III° ex eo etiam prima vice hoc instrumentum habetur insertum codici Campidonensi antiquissimo, extra ordinem autem scriptum, cum reliqua instrumenta omnia fidei historicae consentanea sint.

c) Notae chronologicae nec sibi nec historiae concordant; immo falsae sunt. Membrana corrupta a falsario adhibita ex saeculo X esse videtur.

d) Editum saepius legitur in Crusii Annal. Suev. Pars I. l. 12. c. 2. pag. 318; Lünig spicileg. eccl. III. 169; in scriptis etiam [illegible] polemicis Tentzelii vindiciis hist. pro H. Conringii censura append. III obs. p. 78; Gründl. Ausführung der Reichsstadt Kempten gegen das Hochstift Kempten an. 1731. app. p. 11.; Wegelin Thesaur. Sueviae Tom. IV. p. 443.

II.

Annus fictionis 773, forma membranae ex saeculo X, scriptura falsarii ex saeculo XII medio.

Carolus M. imperator, in gratiam Audogarii abbatis et monachorum Campidonensium, hoc perpetualiter constituisse dicitur: ut inter potentes saeculi eos, quos noverint aequitatis et modestiae amantiores, sibi advocatos eligant, qui parati sint, imperatori servire, et pro abbate in hostem cum imperatore pergere, addito statuto: ut advocatus post fidelitatem, imperatori factam, alia tria sacramenta iuret, quae verbotenus exprimuntur.

(*Chrismon.*) In nomine patris et filii et spiritus sancti Karolus a deo ordinatus augustus. magnus. pacificus. imperator. romanorum gubernans imperium. quoniam principem ac defensorem aecclesiarum nos fecit dominus ne eius ingrati esse uideamur gratie seruitium eius augmentare. ecclesias multiplicare. super bene et oportune inceptis et constructis ne post hac destruantur nos oportet inuigilare. iccirco notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet et futuris. qualiter nos audientes et ueraciter cognoscentes plerosque eorum qui ecclesiarum constituuntur aduocati debita potestate in tantum abuti ut qui deberent esse modesti defensores impudenter effecti sint rapaces. et iniuriosi exactores. placuit nostrae prouidentiae in audogarii venerandi abbatis campidonensis monasterii suorumque successorum et fratrum uidelicet monachorum hoc perpetualiter potestate ponere. ut sapientum usi consiliis ex eis quos inter potentes scilicet nouerint cesse equitatis et modestiae amantiores eligant suis conpetentur locis aduocatos et defensores. qui nobis parati sint seruire. et pro ipso abbate in hostem nobiscum pergere sed nul-

lus hominum sibi hanc causam vel potestatem presumat vendicare. vel quasi hereditariam aut aliquo iure debitam inuadere. nisi quem abbatis et monachorum consulta approbatiora uelint admittere Eo tamen tenore. ut post fidelitatem regio iure nobis nostrisque successoribus factam abbati tria sacramenta iuret. Primum quod secundum posse et nosse iustus ac utilis aduocatus in res et homines predicti monasterii existat. Secundum quod quicquid placitando acquisierit tercia tantum parte sibi retenta duas abbati reddat et nullum aduocatum vel exactorem preter se sine abbatis permissione constituat. Tercium quod nichil priuati muneris vel seruicii a quolibet loco siue curte seu a cellaerariis quasi ex debito et statuto iure exigat ac mansiones et pernoctationes uspiam frequentare caueat. Quando autem huius commissi in rebus vel hominibus quod vulgo balmunt dicitur exstiterit statim et sine mora et sine preiudicio nisi cito resipuerit aduocatia cum omnibus commodis sine spe recuperationis carebit Ad unumquemque uero locum quem abbas ad placitandum ordinauerit cum duodecim uiris et todidem equis aduocatus semel tantum in anno nisi pro aliqua necessitate ab abbate sepius aduocetur suscipiatur ac tunc pro terrae qualitate preter uinum quod ibi est rarum honeste procuretur Infra locum autem campidonensem nullum placitum nisi rogatu et uoluntate abbatis unquam statuat nullum eiusdem domus dei seruientem sine abbate vel ipsius consensu ad iudicium cogat Nullum de familia sine iusta sociorum deliberatione damnet uel coerceat Et ut hec firmius credantur et diligentius conseruentur manu propria subterfirmauimus et anulo nostro insigniri iussimus.

Signum domini Karoli (*Monogramma*) magni imperatoris augusti.

Amulbertus Cancellarius ad uicem luitperti archicapellani recognoui et ss.

Data anno ab incarnatione domini dcclxxiii. indictione xi. anno uero regni magni Karoli VI. imperii primo. Actum romae in sancto die pascae feliciter amen.

a) Sigillum periit; antiquitus membranae adhaesisse, locus sigilli cum macula cerae, immo litterae, recognitionem indicantes, et atramento alio scriptae, manifestant, in membrana rugis plena, ita, ut omnis scripturae apices diffluxerint.

b) Falsa in hoc instrumento omnia sunt, falsus titulus Caroli, falsi cancellarius et archicapellanus, falsa epocha aerae Christianae ex spurio canone 22 distinct: 63 adoptata, quae omnia iam notavit Papeprochius in censura alia in actis sanctorum Tom. III. April p. 702; parcior autem in verbis fabricator huius instrumenti, ex quibusdam rasuris etiam suspecti, est, quam in praecedenti, et aliquos saltem anachronismos vitavit.

c) Copia antiquissima primis foliis codicis vetustissimi Campidonensis, saeculo XI conscripti, addita est manu autem saeculi XII medii.

d) Quae hic super advocatis constituuntur, vix non de verbo ad verbum conveniunt cum diplomate, quod Carolus M. monasterio Ottenburano concessisse dicitur, et in Feyerabend Ottenbeyrens Jahrbüchern I. 622. Nr. 4. ex libro copiali saec. XII. exhibetur.

e) Notae chronologicae falsae sunt; membrana autem, cui inscriptum est instrumentum, ex quadam charta alia desumpta videtur.

f) Ineditum.

III.

Anno 802. Mense Martio. Aquisgrani, instrumentum sub Carolo Crasso, imperatore, renovatum.

Carolus Magnus, imperator, ea loca, quae Tassilo, dux Baiovuariorum, tradidit ad monasterium Sancti Salvatoris in Chremisa, auget et confirmat, videlicet Sulzbach, Sicbach et Liubilinbach, in pago Trungovue, insuper curtem Pettinbach, nemus ad Eporastal, Alkinchova vineas in Ascaba et in Rotala etc.

a) Instrumentum iustum, si ad veram epocham referatur. Ea autem est Caroli Crassi, quod ipsum sigillum, nec ipsum perfectum, evincit; nam verissima epocha est concilium Aquisgranense, mense Martio 802 habitum, quocum anno et mense conveniunt episcopus Waldricus, notarius Erchanbaldus, et archicapellanus Rado. Sigillum autem ad Carolum Crassum pertinere, conferenti patebit, dummodo observetur, tertiam tantum sigilli formam esse expressam, cum aliae formae, prima et secunda, in originalibus, Nro. 51 et 56, tum in Nro. 53 et aliis pluribus compareant.

b) Rescriptum esse hoc instrumentum palam fit ex usu aerae christianae et apparentibus quibusdam rasuris. Scriptor solas tironianas notas omisit, in chartis aliis Caroli Crassi obvias, qualis omissio a celeberrimo Kopp inter notas falsitatis refertur.

c) Notas chronologicas ad annum 802 convenire, supra est dictum, quibus respondent omnes libri copiales, nempe lib. I. fol. 17. b. II. fol. 43. b. III. f. 40. IV. 97.

d) Editum in Hundii Metrop. I. edit. Monac. 293. ed. Ratisp. 195. apud Hansiz Germ. sacr. I. 138. Buchinger Geschichte von Passau 481.

IV.

Anno 823. 28. Junii. Franchonofurt. instrumentum sub Ludovico II. alias juniore, rege, renovatum.

Ludowicus Pius imperator ecclesiae Pataviensi renovasse et confirmasse dicitur donationem patris sui, Karoli magni imperatoris, loca nimirum; Litaha cum marcha determinata, Zeizzinmurum cum marcha similiter determinata, Treismam, Wachowam, Pelagum, Nardinum, Reode, Asbahc, Wolveswanc, Erlafa, duas basilicas in Artagrum, duas basilicas in Saxina, quae mortuo Karolo imp. marchiones provinciae eiusdem illi ecclesiae subtrahere conati sunt.

In nomine domini dei et saluatoris nostri Jhesu Christi Hludouuicus diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Nullum fidelium nostrorum ambigere credimus. qualiter domnus et genitor noster beatae memoriae piissimus imperator Karolus regnum hunorum suae ditioni non sine magno preliorum labore subiugauerit. et homines terrae illius cultui christiane religionis mancipauerit. Intantum vt etiam in eadem prouincia multas aecclesias ob dei reuerentiam. et renouari. et a fundamentis construi faceret. Tum dei iussu super deuastatione et inopia patauiensis episcopatus misericordia motus. plus celeste quam terrenum lucrum desiderans. quedam loca ad eandem aeclesiam sancti Stephani promartyris Christi. In qua sanctus valentinus corporaliter requiescit. vbi tunc Vualdaricus venerabilis episcopus praeerat tradidit. hoc est in prouincia auarorum quendam locum qui vocatur litaha. et in terra hunorum Zeizzinmurum. Treismam. Vuachouuam. Pelagum. Nardinum. Reode. Asbahc. Vuoluesvuanc. Erlafam. et in artagrum basilicas duas. et in saxina basilicas duas. sed postquam domnus et genitor noster piae me-

moriae Karolus imperator defunctus est. marchiones eiusdem prouinciae de episcopatu eadem loca alienare et eorum potestati subdere Conati sunt. Cum autem Reginharius episcopus effectus est. deuitans discordiam et litem. Gotafredum marchionem et iudices illius prouinciae in presentiam nostram fecit venire. Nos vero iusta lege et iudicio totius populi iuxta traditionem praedicti Imperatoris loca superius nominata ad praedictam sedem pertinere debere decreuimus Tunc memoratus episcopus nostram implorauit clementiam. Vt aliquam futurae securitatis à nobis acciperet firmitatem. quo iam dicta loca liberius firmiusque. pontifices eiusdem sedis tenerent. quod ita et nos fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Proinde ergo nostra imperiali auctoritate iubemus. vt praedicta loca id est litaha iuxta fontem qui vocatur sconibrunno cum omni integritate sicut Theodericus habuit in sua potestate. et Zeizinmurus. cum tali marcha. vt genitor noster Karolus decreuit. hoc est ab illo castello in orientali plaga usque ad pendentem lapidem in ora montis Comageni. et in australi usque ad chunihohesstetin. in occidentali autem usque ad acernos sitos inter tullunam et ipsum Castellum. et vltra danubium ad trebinse. et exinde ad mochinleo. et usque ad êzinburi. et Treisma cum omni integritate. similiter Vuachouua. et cetera omnia loca que praescripta sunt. rectores eiusdem aeclesiae cum omnibus ad eadem pertinentibus cultis et incultis. agris. pratis. pascuis. siluis. aquis. aquarumque decursibus. piscationibus. venationibus. molendinis. exitibus et reditibus. quesitis et inquirendis. totum et integrum absque ulla contradictione teneant atque possideant. et quicquid illis exinde facere libuerit iure aecclesiastico. libero perpetualiter in omnibus potiantur arbitrio. et siquis hec infringerę temptauerit. exinde reddet rationem in diem iudicii. et ut haec auctoritas pristinae traditionis et nostrae confirmationis inconuvlsa et inviolabilis permaneat manu propria subter firmauimus. et anuli nostri impressione sigillari iussimus.

Signum (*Monogramma*) hludouuici piissimi Imperatoris (S. R.)

Simeon diaconus et cancellarius ad vicem Fridegisi Archi-
ıpellani recognoui et subscripsi.

L. S.

Data anno dominice incarnationis dcccxxiii. indict. i. iiiikl
/l Regnante domno. hludouuico annos X. feliciter. Actum Fran-
honofurt in dei nomine Amen.

a) Sigillum impressum ac illaesum exhibet Ludovicum II. germanicum, alias iuniorem dictum, qui regnavit ab anno 877 usque 882, cuius sigillum impressum est diplomati Metensi autographo Nro. 50. Adsunt duo instrumenta paris tenoris et aetatis; ex quorum altera exsectum est sigillum. Licet autem nulla in instrumento appareat rasura, falsitatis tamen nota est imprimis adhibita epocha aerae christianae, qua non usus est imperator Ludovicus.

b) Rescriptum autem esse hoc instrumentum, magna convenientia omnium notarum chronologicarum cum anno 823 indicat; etiam notarii et archi-capellani in instrumento notatorum. Occurrit in libris copialibus antiquissimis, I. fol. 4. II. fol. 31. III. fol. 41. IV. fol. 98. In solo tertio codice exhibetur altera vice fol. 65. b.; truncatum, et in quodam loco interpolatum.

c) Editum in Hansiz Germ. sacr. I. 155. Buchinger Geschichte von Passau 483, denique in Bar. de Hormayr Geschichte Wiens II. Jahrgang III. B. I. Heft. Urkundenbuch. pag. 183. ad. num. 295.

d) Duo instrumenta Passaviensia annorum 802. mense Martio, et 823. 28. Jun. non referenda ad diplomata historice falsa, sed ad exarata subsequente tempore, et revocata ad pristinos annos, more sub Ludovico II. seu iuniore et Carolo Crasso usitato. Im-

primis alterum, carens rasura, munitum vero sigillo Ludovici II., omnino censetur eo ipso tempore scriptum, modo renovandi diplomata antiquissimo.

V.

Anno 886. 16. Febr. Rotwile. instrumentum verisimiliter renovatum saeculo XI.

Karolus Crassus imperator monasterium Oberenmunster in civitate Ratispona, ab Hemma regina, genitrice sua legitimo concambio receptum, ubi ipsa sepulta requiescit, in suae emunitatis defensionem suscipit, eique abbatissae et advocati electionem concedit.

(*Chrismon.*) In Nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis Karolus Diuina Fauente Clementia Imperator Augustus. Si Membra Christi infirmiora Sed Habundantiori Honore Dignissima Debita Karitate amplectimur et imperialis auctoritatis Robore communimus. Id nobis et ad temporalis tranquillitatis gratiam et ad aeternae felicitatis gloriam profuturum sine hesitatione confidimus. Proinde omnium fidelium Christi tam praesentium quam succedentium nouerit industria. qualiter nos monasterium beatissimae semperque uirginis matris domini nostri Jesu Christi Mariae in ciuitate ratispona. quod dicitur oberenmunster quod piae memoriae genitrix nostra Hemma regina a baturico ratisponensi episcopo sollempni ac legitimo concambio recepit. ubi ipsa corporaliter. sepulta requiescit. in nostrae aemunitatis (emunitatis) defensionem suscepimus. ea uidelicet conditione. ut neque nos. nec quisquam imperator aut rex aut dux aut comes aut regalis (regius) exactor. siue ex imperiali siue expropria auctoritate quidquam (quicquam) ibi ordinandi aut exigendi habeat potestatem. Sorores· quidem abbatissa decedente. aliam quae succedat moribus atque uita probabile (probabilem) unanimiter atque legitime eligant. cui-

cuius aelectioni (electioni) siue ordinationi non imperator. non rex. non episcopus. non aduocatus. non aliquis hominum in aliquo contradicat. nec difficultatem nec molestiam quamlibet inferat. Sane advocatum nullum habeat (habeant.) nisi eum que (quem) abbatissa et sorores (sororum) concors discretio aelegerit (elegerit.) Qui etiam aduocatus nihil iuris nihil potestatis. nihil seruicii ibi requirere presumat. nisi quod ei abbatissae (abbatissa) et sanctimonialium bona uoluntas constituat. Si quis uero deinceps hanc nostrae auctoritatis paginam propter suam cupiditatem infringere uoluerit. omnium illorum criminum peccatorum delictorum in extremo et districto examine in presentia dei reus existat. pro quorum absolutione et redemptione piae memoriae genitrix nostra ipsum monasterium ordinauit. ditauit. atque magnificauit. et tamen suum malum studium nihil ualeat. sed usque infinem sceculi (saeculi) hoc preceptum nostrum inuiolabiliter perseueret. Et ut haec nostrae auctoritatis constitutio firmior et certior habeatur et diligentius obseruetur manu propria subtus eam firmauimus. et bullae nostrae impressione signari iussimvs.

Signum Domini Karoli Serenissimi Imperatoris (*Monogramma*) Augusti.

Amelbertus Cancellarius ad uicem Liutuuardi Archicancellarij recognoui. (S. R. cum notis tiron.)

L. S.

Data xiiij. kalendas Martij Anno dominicae incarnationis dccclxxxvj. Indictione iiij. Anno uero imperij piissimi Imperatoris Karoli. In italia vi. In frantia v. In gallia ij. Actum in uilla quae rotwile vocatur. in dei nomine feliciter Amen.

a) Sigillum, loco inepto impressum, pro bulla appensa, suspectum quidem reddit hoc instrumentum, maxime cum duplex complicatura inferioris membranae et vestigium foraminum, inserendo

funiculum aptorum, ex quo dependeat ipsa bulla, non desit. Character litterarum multipliciter crispatarum et locus sigilli aliquanto maior saeculum undecimum indicare videntur, ex quibus desumendum esset, renovatum esse instrumentum ipso saeculo XI., et sigillo regis Heinrici IV. vel alicuius episcopi munitum.

b) Quinque variae notae chronologicae concordant.

c) Editum in Hund. Metrop. *I.* edit Monac. 245. edit Ratisb. 163. iterum III. 1. in utraque edit; in Lünig spicileg. eccles. III. abbatiss. 178; in Hochwart episc. Ratisb. apud Oefele Script. B. I. 171; in Ried cod. dipl. Ratisb. I. 66. Nro. 66.

VI.

Anno 983. verisimiliter 10. Juni. Veronae. Instrumentum fictum saeculo undecimo finiente, aut duodecimo incipiente scriptum.

Otto II. Imperator marcham terrae Monasterii Campidonensis dicitur recognovisse et approbasse; res ipsa ad an. 847 — 854 referenda est.

In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus. Oportet igitur nos qui dei munere a ceteris mortalibus sumus prelati eius in omnibus parere preceptis et loca sibi dicata nostro releuare iuuamine. atque eis legitime tradita imperiali tueri munimine. quomodo id nobis ad temporalem uitam prospere transiendam et aeternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Qua propter comperiat omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum sollertia qualiter antecessor noster hlovdouuicus uidelicet pius et serenissimus imperator filius Karoli magni imperatoris interequitari fecit marcham que est inter monasterium sanc-

tae mariae quod dicitur campidona. et inter populum albigaugensem. hilargaugensem. et augusgaugensem. et inter omnes circumquaque prope ipsam marcham positos. ad orientem. ad meridiem. ad occidentem. et ad septentrionem. Notissimum est enim ex testamentis quae tradiderunt antecessores nostri. uidelicet hludouuicus pius et serenissimus imperator. et arnolfus rex. et bonae memoriae genitor noster Otto imperator et nos hac nostra testificamur auctoritate. qualiter Iring missus domni iam dicti hlovdouuici serenissimi regis residens cum babone. et perhtoldo comitibus. et cum magna multitudine hilargaugensis. et augusgaugensis. et albigaugensis populi. fecit iurare primos et seniores de omni populi super sanctorum reliquias. quod quicquid de ipsa marcha que est inter monasterium sanctae Mariae quod dicitur campidona. ubi tunc temporis erchanbertus frisingensis episcopus preesse uidebatur et inter omnes circumquaque positos certissime et uerissime scirent. id sine mendacio et ulla dubitatione testarentur. Illi quidem post datam fidem. et interrogatione facta dixerunt se ueraciter scire ita interfinium esse. et marcham campidonensem infra hos terminos consistere. Ab humminfurt. usque ad rovgginsflouch. deinde zimehellindinwege. de inde in isinmarwazzir. de inde in riuum qui uocatur ascha. de inde in lvtirahe ubi in hilaram uadit. de inde indirectum super bovbinrain. deinde in sedinbrunnin iuxta wolfoltiswendi. deinde in fontem zibehaim. deinde in mindilunursprinc. de inde in di wertahe: deinde in di geltinahe. sursum deinde in rotaham ubi uadit in hilaram. Infra hos terminos iurauerunt predicti seniores ipsam marcham cum terris et siluis cultis et incultis specialiter ad potestatem domus dei campidonensis monasterii etiam a temporibus Karoli magni imperatoris contineri quod numquam in alterius hominis potestate iusta uestitura fuerit ex quo ipsum campidonense monasterium a beatae memoriae hiltigarda regina uxore ipsius magni Karoli fuerat fundatum. nullusque postea ex albigaugensi. uel hilargaugensi. uel augusgaugensi populo superius memoratum monasterium infra ipsam marcham inuadere. aut noualia capere. aut etiam nullus comes infra predictam marcham aliquod iudicium facere audebat. sed

semper ipse abbas et monachi. et agentes sui. et aduocatus ipsius monasterii eam cum omni tranquillitate possederunt. donec ipse populus circumquaque ipsam marcham positus iniusta inuadatione transgressionem in ea fecisset. Peracto enim scabinorum iuditio noluerunt audire uel adquiescere eorum iudiciis. sed parauerunt se sine ulla audientia a placito constituto discedere ac per hoc predictus dominicus missus uidelicet iring uerbo regis pannauit omnes pariter testes uidelicet atque idoneos scabinos nec non et populum circumquaque ipsam marcham positum. quatenus omnes in die deputato starent coram rege ad regenesburg. Quadam uero die domno hludowico serenissimo imperatore sedente pro tribunali in palatio regio apud regenunto. primatibus nobilium francorum. bauuarorum atque alamannorum adsistentibus. livprammo. erchanfredo. erchanberto. hartwigo episcopis. et babone fritilone. etzone. comitibus. iussit ante se uenire rex eos quos iring ex suo uerbo pannauit in prememorato placito quod in partibus alamannie iussu domni regis habuit. illoque referente omnem ordinem rei. sacramentum scilicet testium. idoneorum scabinorum examen. eiusdem populi impedimentum. iussit iterum domnus rex omnem pristinam inquisitionem coram se renouari. Primo siquidem fecit eosdem fideles testes sacramentum dare super sanctam ac uenerabilem dominicam crucem suam. pro eo uidelicet ne inpostmodum potuerint dicere. quod sibi iniuste discerneretur eorum sententia. Post sacramentum uero interrogauit dominus rex eosdem albigaugenses. hilargaugenses. augusgaugenses. de persona testium. siqui illorum potuissent falsare. qui professi sunt se non posse quemquam illorum proicere. Tum idem testes iussi sunt dicere. secundum sibi datum sacramentum quod uerissime scirent de prefata marcha. id sine mendacio et dubitatione testarentur. Illi uero nichilominus quam antea in priori placito. sed etiam in quibusdam plenius testificati sunt Proinde idem ipsi idonei scabini qui superius. aliique quam plurimi qui in conuentu magnatorum aderant coram rege diiudicauerunt. ut uniuersas supergressiones predictorum limitum cum suis commissis prefato monasterio redderent. Et primo omnium accessit hunolf aduocatus reginhalmi presbiteri coram

rege et omnibus primatibus eius et cum manu propria suas reddidit inuadationes in manus erchamberti frisingensis episcopi tunc etiam abbatis campidonensis. et aduocatis (i) sui milonis. Sic et ceteri presbiteri et alii litterati fecerunt. Reliqui uero ut in lege continetur cum suis commissis reddiderunt. uniuersi quidem ibi uadiauerunt in manus erchanberti episcopi simul et abbatis campidonensis. et aduocati sui milonis uestitura sua in die deputato legitima facienda. Postremo quippe iussit dominus rex eos qui in pristino placito eius fidelibus uidelicet abbati et monachis campidonensibus maxime impedimentum et iniuriam concitauerunt. ut a reginesburg usque ad eundem locum placiti uidelicet regenunto pedestres uenirent. et unusquisque laicorum propriam sellam suis scapulis portaret. Presbyteris atque aliis litteratis qui noxii in hac presumptione seducti sunt clementer indulsit. — Isti sunt qui post sacramentum hoc testificati sunt. Adalbern. Adalbret Immo. Ganto. Peringer. Rantwig. Reginbolt. Trusing. Tagapreht. Kisalolt. Irminbreht. Willehelm. hiltram. Gotahalm. Reginher. Nordolo. Perethram. Erinbreh: hadamar. theotolt. thrudher. nandker.

Isti sunt scabini. Reginbolt. Reginolf. Agilo hunolf. Aragoz. Stephan. Reginher. theotprehet. woluolt. hunpreht. alberihc. willehelm. Maghelm. Selpker. Snelrich. Actum est autem hoc placitum apud regenunto coram domno hludowico imperatore piissimo et serenissimo. et primatibus suis. presentibus eisdem testibus et scabinis prescriptis. cum Iringo misso et erchanberto. frisingensi episcopo et simul abbate campidonensi atque Milone aduocato domus campidonensis et innumera multitudine diuersi populi. Mense quidem martio V. id. Martias. Et nos hanc actionem recognouimus. et subscribi iussimus. et eam sigillo nostro subter signari precepimus.

Signum domni Ottonis inuictissimi (*Monogramma*) imperatoris Augusti.

L. S.

Data Radisponae anno ab incarnatione DCCCIIII. Regnante domno nostro Jhesu christo feliciter Amen.

a) Sigillum, cuius pars restat, cum integro monogrammate, verba etiam monogramma indicantia, conveniunt Ottoni II. imperatori. Ipsa charta, per totum instrumentum rasuris et correcturis deformata, insignem anachronismum continet, quo ineptissime annus 804, quasi Ludovico Pio conveniat, et ipse Ludovicus Pius contemporaneus exhibetur Erchamberto, episcopo Frisingensi et caeteris episcopis inter annos 847 — 854 viventibus, sicque confunditur cum filio Ludovico Germanico.

b) Non desunt aliae notae falsitatis, sic chrisma, subscriptio cancellarii et archicapellani, dies, mensis et annus cum indictione et annis regni vel imperii, locus etiam peracti negotii deficiunt.

c) Testatur quidem Rudolfus Habspurgicus, in diplomate Viennae 13. Aug. 1278 dato, se vidisse instrumentum sibi oblatum, nulla parte vitiatum, quod tamen intelligendum, in re extra iudicium sive ex gratia facta, imprimis tunc temporis, cum conspiceretur adhuc totum et integrum sigillum.

d) Diploma ergo absque dubio ad annum 983. IV. idus Junii id est 10. Jun. ab eodem Ottone II. ad supplicationem Rudolfi, super libera electione abbatis concessum, pertinet, quod infra copias ex libro copiali fol. 19. dabitur, quodque hac occasione abolitum est, et ficto huicce instrumento, saeculo undecimo finiente, vel duodecimo incipiente, locum dedit.

e) Editum in der Stadt Kempten Deduction: Gründl. Ausführ- und Rettung. an. 1731. Beylage VI. p. 38. ex copia vidimata iudicii aulici Rothweil an. 1468; in des Stiffts Kempten Deduction: Gründl. Widerlegung. an. 1737. Beylage A. p. 1. sq. ex copia vidimata Rudolphi regis an. 1278.; in Wegelini Thesaur. rer. suev. IV. 458. sq. ex deductione urbis Kempten, cum censura eiusdem instrumenti utrobique inserta.

VII.

Anno 1007. 1. Novembr. Frankonofurt. Instrumentum circa ducentos annos postea scriptum.

Heinricus II. Rex, qui abbatiam Kitzingensem ecclesiae Babenbergensi in sedem episcopalem sublimatae donaverat, statuisse simul dicitur, ut congregatio Kizzingensium dominarum usus et potestates piscationum inviolabiliter semper habeat atque in earum favorem fines eorundem piscationum discrevisse.

(*Chrismon.*) In nomine sancte et indiuidue trinitatis Heinricus diuina fauente clementia rex Saluberrimus Nouerint omnium nostri fidelium tam presens etas quam et successura posteritas. quia cum nos nostri quandam iuris abbaciam Kizzing dictam ex consilio et consensu principum romanorum in episcopalem sedem babenberc cum omnibus eius pertinentiis siue adherenciis uidelicet ecclesiis et omnibus utilitatibus que quolibet modo dici uel scribi possunt prout firmius potuimus donauimus atque proprietauimus regali banno sancciuimus et signatis litteris confirmauimus ut Kizzingensium congregacio dominarum piscacionum suarum usus et potestates sicut prius inuiolabiliter semper haberet. Hoc etiam determinate exclusimus ut siquis beneficiarius in uillis fieret que in margine piscacionum predicte congregationis site sunt nullo modo se de passcuis predictarum piscacionum intromittere presumeret. preterea fines piscacionum sic discreuimus, ut ex una parte mogi ab amne qui dicitur swarzaha usque ad riwum qui dicitur dihenbach et ex altera parte mogi a uilla que uocatur chellere usque ad uallem sulzevelt nemo praeter abbatissam piscandi potestatem haberet nisi qui piscandi licenciam ab ipsa inpetraret. Omnes enim uille ex utraque litoris posite infra hos quatuor fines eiusdem abbacie erant. Siquis igitur quod absit

destruere siue uiolare presumat in nouissimo die tormento inextinguibili coram oculis domini luat quod ne fiat, sed hec tradicio nostra decretumque nostrum ab omnibus incorruptum permaneat hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri inpressione insigniri iussimus.

Signum domni Heinrici (*Monogramma*) regis inuictissimi.

Data Kal. Novembris Indictione V. anno dominice Incarnationis MVII. anno vero domni Heinrici secundi regn. VI. Actum frankonofurt feliciter amen.

a) Sigillum impressum illaesum est, non tamen exhibet illud Heinrici II., sed verisimiliter est ex aetate Heinrici VI. imperatoris, alias quidem non occurrens in hac forma, quod tamen unum ex rejectis sigillis esse potuit. Certe praeter Heinricum VI. nullus alius Heinricorum utitur elogio s e m p e r augustus. Character etiam scripturae ex fine saeculi XII. est. Ad diplomata ergo postea rescripta hoc ipsum instrumentum referimus, in quo titulus saluberrimus desumtus ab exordio authenticarum litterarum: „saluberrimis sacri eloquii institutionibus," suspicionem maximam suppositionis praebet, et monogramma solum atque tempus notatum aetati regis Heinrici II. conveniunt.

b) Notae chronologicae certe ad primum Nov. 1007 pertinent.

c) Editum in Fr. Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 308. Nr. II.

VIII.

Anno 1009. 7. Junii. Merseburg. verius circa annum 1029. conceptum, et saeculo XII. scriptum.

Heinricus Imperator, ecclesiae sitae in heremo, quae vocatur Nortwald, a Guntherio monacho constructae, eiusdemque cellae provisoribus, territorium terminis designatum, donasse dicitur.

Data VII. Id. Junii Indictione VII. Anno dominicae incarnationis MVIIII. Anno uero domni Heinrici secundi regnantis VIII. Actum Merseburg feliciter amen.

a) Instrumentum hoc, quod Heinricum II. primo imperatorem, in monogrammate autem regem vocat, ex hac ipsa dissonantia iustum esse nequit. Insolita iam litterarum forma saeculum XII. manifestat. Ipsum sigillum diligentius inspectum fraudem quandam indicare videtur. Suspicio fraudis augetur ex eo, quod Conradi II. diploma de anno 1029. 1. Jan., supra inter originalia Nr. 330. impressum, in codice Hermanni abbatis desit, quodque Nideraltacensibus novum sigillum primo impresso addere visum est. Jam vero nostrum transsumptum cum diplomate Conradi 1029. 1. Jan. de verbo ad verbum convenit, exceptis nominibus Heinrici II. et Cunigundae reginae. Fictio ergo antiquissima aetatem Hermanni abbatis superat.

b) Notae chronologicae omnes conveniunt anno, in charta indicato 1009; res ipsa ad annum 1029 referenda est.

c) Editum à Gretser in divis Bamberg. ap. Ludewig Scr. rer. bamb. I. 331. Hund metrop. II. edit. Monac. 37. edit. Rat. 25. Monum. Boic. XI. 138.; occurit etiam in codice Hermanni abbatis, medio saec. XIII. conscripto fol. 76.

IX.

Anno 1053. 28. Decembr. ex nostro computu, ex antiquo 1054. Pataviae. Instrumentum rescriptum et fictum saeculo XIII. finiente.

Heinricus III. imperator ecclesiae Chremensi mansum regium, vulgo Chungelhueb, donasse, et plebano ac pastori eiusdem loci iudicium in omnibus causis et iudiciorum articulis concessisse dicitur, exceptis tribus articulis, qui publico iudicio reservantur.

Acta sunt hec. anno dominicae incarnationis. M°. quinquagesimo quarto. quinto Kalendas Januarii indictione septima anno uero domini Hainrici regis romanorum ac imperatoris invictissimi vicessimo quinto.

a) Sigillum impressum, fractum quidem, sed ex parte maiori adhaerens, imaginem imperatoris Heinrici III. cum tota ultima medietate inscriptionis optime exprimit. Monogramma etiam eiusdem imperatoris est, cum singulari eius signo; insuper cancellarius Winitherius et Archicancellarius Luitholdus manu primaeva scripti sunt. Reliqua omnia rasa, et quod dicunt rescripta sunt, remanentibus apicum erasorum certissimis vestigiis. Scriptor, qui semper simplex e loco ae adhibuit, et novior saeculo XIII. finiente est, praeter titulum Semper Augustus, etiam aetatem episcopi Rimberti potius Regimberti 1146 notavit, et anno Heinrici III. imperatoris 1054 coniunxit, quod utrumque insolitum erat aetate illius Heinrici. A more illius temporis recedunt etiam indictio et annus ordinationis, omisso imperii anno, numeris Romanorum expressi, defectus chrismatis atque datum in ipso contextu diplomatis scriptum. Insuper ista charta in nullo libro copiali archivi Pataviensis invenitur.

b) Temporis notae cum ipso loco imperialis commorationis Pataviae cum nostro anno 1053. 28. Dec., veteribus iam anno 1054 incoepto, conveniunt.

c) Editum in Buchinger Geschichte von Passau II. 503. et cum censura Bar. de Hormayr im Archiv für Gesch. Jahrg. 1828. S. 256.

X.

nno 1138. 31. Martii. Norenberc potius Coloniae. Instrumentum fictum et rescriptum saeculo XIII. medio.

Conradus III. Rom. rex monasterium Hailsbronnense et eius bona, nominibus expressa, in suam ac imperii protectionem specialem recepisse ac Abbati facultatem homines eius iudicandi concessisse dicitur.

Datum apud Norenberc, pridie kalendas Aprilis — Regni nostri Anno primo. —

L. S.

a) Sigillum, impressum et optime expressum, absque dubio est Cunradi II. alias III., qui regnavit ab anno 1138, 6. Mart. usque 1152. 16. Febr. Attamen praeter hoc sigillum omnia tempore multo posteriori inscripta sunt chartae truncatae; nam truncationem duae lineae plumbo ductae et in superiore parte membranae adhuc residuae manifestant. Ut mentionem de sigillo in instrumento desideratam, omissionem monogrammatis, aliaque menda facilius excusanda praetereamus, ad essentialia novitatis istius instrumenti indicia huc revocamus: I. characterem scripturae

cum interpunctionibus, nimirum commate loco puncti; II. omissum chrisma; III. titulum semper augustus; IV. locum dati instrumenti falsum, cum Norimbergam ante finem mensis Maii rex nec transeundo visitavit; V. quaerelas super excessibus advocatorum aut iudicum, motas tempore fundatoris S. Ottonis episcopi Babenbergensis, qui sibi advocatiam eiusdem monasterii anno 1132 expresse reservavit cf. Hocker p. 59; VI. Loca in specie hic expressa, Ketelndorf, Cennenhusen et Schuhpach, omnia post annum 1147 demum monasterio adquisita sunt; VII. Inscriptio exterior manus saeculi XVII. notavit annum c. 1253, haud dubio diploma hoc ad Conradum IV., filium Friderici II. referens.

b) Annus Christi non expressus desumitur ex anno regni primo. Locum autem dati instrumenti falsum esse, iam supra dictum est.

c) Editum in Hocker Supplement zum Heylsbronn. Antiquitäten-Schatz p. 110 et 111; in Schütz corp. hist. Brandenb. 29. num. 7; in Falkenstein antiq. Nordgav. Cod. dipl. 27. num. 15. Immo insertum est in confirmationibus regum monasterio Hailsbrunnensi concessis Rudolphi Habsburg. an. 1275. 12. Jan. Adolphi an. 1295. 5. Mai. Alberti 1302. 4. Febr. quae in eodem Hocker. l. c. p. 115—119. num. 4. 5. et 6., nec non in Schütz p. 103, 152, 165. n. 67, 121 et 132 ex autographis eorum sunt excusae.

XI.

Anno 1153. 23. Septembr., immo post annum 1183. nam fictitium est instrumentum circa annum 1314 conscriptum.

Fridericus I. imperator dicitur, libertatem et exemtionem monasterii Scti Emmerammi Ratisponae confirmasse, inserto Lucii II. Papae spurio privilegio, ipsique monasterio plures facultates concessisse et stabiliisse, morticinia, quae Val dicuntur, medietatem substantiae morientium absque prole legitima, promovendi quemcunque de familia in ordinem ministerialium, iudicandi et corrigendi excessus hominum ad ipsum monasterium pertinentium etc.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis m°. c°. Liij°. Regnante domino friderico romanorum Imperatore gloriosissimo. Anno regni eius iij°. Imperii vero ipsius primo. Datum vberlingen viiij. kl. octobris feliciter Amen. —

a) Sigillum appensum ipsissimum imperatoris Friderici I. esse, facile ex fragmentis, quae restant, sed casu novissimo tempore avulsa sunt, cognosci potest. Ipso hoc casu indicium de falsitate in promptu est; nam quo modo olim coniunctio massarum, interioris et exterioris, ad invicem facta est, eodem nunc seiunctio earum, et ad aliud instrumentum adglutinatio contigit. Unde haud mirum, veteres criticos et recentiores, fraudem nescientes, in vanum de veritate vel falsitate eiusdem instrumenti laborasse. Cf. Hansitz diss. apolog. prodrom. 1753. Joa. Bapt. Kraus, abb. S. Emmerami, in libro probat. 1752, ac in illustratione contra Hansiz 1753. et Rom. Zirngibl in der Abhandlung über den Exemtionsprocess p. 65 — 70. Patefacta autem

fraude tantum superest reliqua huius instrumenti vitia indicare: I) Bulla Lucii II. an. 1143, nostro computu 1144, quae caput rei, de qua agebatur, continebat, ipsamet fictitia est, et alioquin a consuetudine imperatorum abhorrebat, bullas pontificum confirmare, quod fecisse dicitur Fridericus I.; II) Scriptura satis vetusta, sed locis quibusdam perforatis, sive vermibus sive aerugine exesis plena, omni prorsus elegantia destituta, comma cum puncto adhibens, paucis lineis, minutissimis litteris privilegium pontificium et imperiale contra morem styli illius aevi conglomeravit. III) Fridericus contra morem in re tam gravi nullos adhibuit testes. IV) Duo anachronismi manifesti in eodem instrumento fabricatorem arguunt, annos regiminis, cancellarium atque archicancellarium ignorasse; fingitur enim, annum 1153, 23. Sept. concurrere cum anno regni Friderici I. tertio, imperiique primo, atque eodem illi fuisse Joannem cancellarium et Conradum archicancellarium, qui non nisi ab anno 1183 et reliquis ultimis hoc munere [illegible]. Cf. Chronic. Gottw. 372 et 334.

5) Notae chronologicae haud inter se conveniunt, sed veritati historicae huius instrumenti quam maxime adversantur. Licet Ludovicus IV. 1315 Ratisponae 21. Junii, regni anno primo, illud cum Lucii II. et Conradi III. episcopi Ratisponensis, ex gratia [illegible] privilegiis atque confirmaverit. Cf. Liber probat. 245. Nr. 121.

6) [illegible] Mon. [illegible] et Reich. 251 et [illegible] Libri Probat. 136 — 187. [illegible] der Gesch. der Ge[illegible]

XII.

Anno 1205 potius quam 1204. 21. Januar. Mogontiae. Ex instrumento renovato.

Philippus II. monasterio S. Albani apud Mogontiam ad supplicationem Heinrici eiusdem loci abbatis privilegia Karoli Magni, Ludovici, ac Ottonis III. imperatorum confirmasse dicitur.

Philippus secundus dej gratia Romanorum rex et semper augustus, Temporalis regnj nostrj titulos extollimus feliciter et ampliamus, et eterne uite premia lucrabimur in futurum, si ecclesiarum quieti intendere curauimus et circa earum commodum curam et operam adhibuerimus diligentem. Qua propter uniuersis Imperij romani fidelibus tam posteris quam modernis duximus innotescendum, quod nos animaduertentes pressuras et graues iacturas rerum et bonorum, quas honorabile monasterium sancti albanj apud Mogontiam sepe sustinuit per officiatos regios et imperiales ministros, ac alios homines sua potentia abutentes, ad supplicationem dilecti fidelis nostri Heinricj eiusdem locj, abbatis, ac fratrum ibidem et precipue diuine remunerationis obtentu, priuilegia, gracias et libertates, a diuo karolo magno Ludevico eius filio ac ottone tertio, romanis imperatoribus predicto monasterio concessas presentibus innouamus, ipsumque monasterium recipimus per presentes sub specialem magnitudinis nostre Imperijque romani protectionem, cum vniuersis hominibus, mancipiis, curtibus, grangiis, rebus ac possessionibus eidem monasterio attinentibus acquisitis iam, seu inposterum acquirendis. Et ut gratie pariterque beniuolentie nostre plenitudo, circa eundem locum amplior declaretur, volumus omnino et regia precipimus auctoritate, pro nobis, nostrisque successoribus, ut nulli omnino persone, cuiuscumque status, preeminentie dignitatis am-

ministrationis, uel conditionis existat, liceat ipsum monasterium, personas, bona, uel possessiones eius, ex quacumque causa uel occasione, ammodo inquietare, inuadere, uel turbare. Curtes quoque, grangias, ac patrimonia eius sicut ab antiquo, ab omni censu vectigali, herburga, ac alio quocumque seruitutis onere libera fuisse et esse hactenus dinoscuntur, ab omnj exactionum precariarum, vectigalium herburgarum seu aliorum seruitiorum iure et honore, nobis et Imperio, de consuetudine, iure, uel de facto debitis absoluimus ex nunc inperpetuum in hijs scriptis ipsumque monasterium, personas, res et possessiones eius omnes habitas et habendas perpetua libertate donamus ac ea in eternum, priuilegio imperialis decernimus emunitatis gaudere sepedicto monasterio et fratribus ibidem deo famulantibus et nulli alij seruitura omnem omnino prauorum hominum, ab eis uiolentiam propellentes. Ad cuius rei seu facti inperpetuum euidentiam hanc paginam exinde conscriptam Sigillo nostro iussimus communiri. Testes huius facti et consencientes sunt Sigefridus mogontie, Engilbertus colonie, Heinricus treuerensis, Archiepiscopi, Cuonradus spirensis episcopus, Luodewicus dux bauwarie, Heinricus comes palatinus reni, Bernhardus dux saxonie, Dieppoldus lantgrauius de Luckinberg, Cuno nobilis de minzenberg, Heinricus mariscalcus de kallinden, Heinricus dapifer de walpurg, Ruodolphus mariscalcus de Justingin, Theodericus comes de seyna, Eberhardus nobilis de buedingin et alii quam plures. fidedigni. Datum mogontie anno dominice Incarnationis, Millesimo cc. quarto xij°. kalen. februarij, Indictione viij°.

a) Sigillum Philippi regis, quod nunc in plures partes fractum est, appendisse, tam fila illud permeantia, quam fragmenta minuta residua testantur.

b) Anachronismi vero, in hoc instrumento occurrentes, prohibent, quominus chartam ipsam antiquissimo tempore exaratam esse credamus. Nam 1.) Sigifridus Moguntinus archiepiscopus continuo stetit a partibus Ottonis IV. regis. 2.) Engilbertus Coloniensis ar-

archiepiscopus demum anno 1212 archiepiscopatum illum obtinuit. 3.) Nomine Heinrici Treviris nullus archiepiscopus stetit, nisi Heinricus de Vinstingen, qui archiepiscopalem sedem Trevirensem ab anno 1260 — 1286 possedit. Unde suspicio oritur, anxiis Sanctalbensibus praeplacuisse authenticum instrumentum innovare, et tres catholicos archiepiscopos, sive a Romana ecclesia agnitos, ad maiorem fidem faciendam, substituere, loco Adolphi Coloniensis et Johannis Trevirensis archiepiscoporum; nam in reliquis testibus magna est consonantia. Hoc iudicium sustentatur charactere scripturae nimis crasso et adhibita interpunctione, scilicet parvo commate, tempore Philippi inusitato.

b) Indictio respondet anno 1205, cui consonat locus dati instrumenti et calculus Florentinus, cancellariis Philippi II. familiaris. Conradus quoque IV. Ratisbonensis episcopus, qui 23. April 1204 successit, epocham huius diplomatis accurate determinat, cum apud Ried Cod. Ratisb. I. 286. adhuc 3 Mart. 1205 electus, sed iam mense Julio 1205 consecratus et investitus dicatur.

c) Editum in J. G. Reuter Albans Gulden oder Gesch. des Ritterstiftes zum heil. Alban bey Maynz II. 17. num. 3. cum animadv. pag. 275, qui I. 134. testatur, hanc immunitatem eidem ecclesiae ab imperatoribus Ludovico IV., Carolo IV. Ruperto ac Friderico III. vix non eisdem verbis iterato fuisse concessam: memoratum quoque in chronico Scti. Albani in Joannis scriptoribus rerum Moguntinensium II. 757.

FAKSIMILE-NACHDRUCK

ALS VORLAGE DIENTE DIE ACADEM. SCIENTIAR.

ELECT., MONACHII AUSGABE VON 1763

DIE VERKLEINERUNG ERFOLGTE IM MASSTAB 95:100

REPRINT 1964 BY

BIBLIOTHEK DER ABTEI NIEDERALTEICH

GESAMTHERSTELLUNG UND ALLEINVERTRIEB

T. MARCZELL

OFFSETDRUCKEREI UND VERLAG

8031 PUCHHEIM, GRÖBENZELLER STR. 5

PRINTED IN GERMANY

DATE DUE
